DE ANTIQUA

MEDICO-PHILOSOPHIA

ORBI NOVO ADAPTANDA.

ORATIO
HABITA

IN CAPITOLIO GULIELMOPOLITANO
IN COMITIIS UNIVERSITATIS VIRGINIÆ,
Die XII *Junii* M. DCC. LXXXII.

Dùm favente Gallorum DUCUM & MILITUM frequentiâ,

Medicæ Cooptationis Laureâ donabatur
CHRISTIANISSIMI REGIS Exercitûs
ARCHIATER,

JOANNES-FRANCISCUS COSTE,

Saluberrimarum Medicinæ Facultatum Parisiensis *Alumnus*, Valentinæ *Doctor*, Pennsylvaniensis *Doctor Honorarius*; *Regiarum Medicinæ Societatum* Londinensis, Edimburg., Paris. *Regii* Lotharingorum *Medicorum Collegii Honorarius*; *è Regiis Scientiarum*, *Artium & Litterarum Academiis* Nanceïanâ, Lugdunensi, Divionensi; *ex* Humanâ *Societate* Philadelphiensi; Societatis Philosophicæ Americanæ *Socius*; *Arcis & Militaris Nosocomii* Caleti, *Navaliumque* REGIS *Exercituum Medicus*.

LUGDUNI BATAVORUM.
1783.

GEORGIO WASHINGTON,

LIBERTATIS & PATRIÆ
ARMIS PARENTI,
PIETATE FILIO;

VIRO

TOTIUS VITÆ INTEGRITATE,
TENACITATE PROPOSITI,
CONSTANTIA IN ARDUIS,
TEMPERANTIA IN TRIUMPHIS,
FAMÆ
VEL IPSIS HOSTIBUS
INTACTÆ,
SUUS ET ALTER ORBIS
DUM PLAUDEBANT....

HOC TENTAMEN
QUOD CIVIUM INCOLUMITATI JAM CONSECRATUM,
D. D. D.

AUTHOR.

ANTIQUA

NOVUM ORBEM DECET

MEDICO-PHILOSOPHIA.

FELICES ter & ampliùs, quos dùm officium ſimùl & grati memoriſque animi conſcientia jubent, amor allicit, grataque adimplendi muneris trahit voluptas. Felices quibus dicturis id contigit fortunii, ut cum rei dicendæ dignitas ſumma, magnumque momentum concurrant, Regionis, Temporis & Loci ità conſentiant rationes, ut benignum Auditorum favorem dicenti ſint conciliaturæ.

Medicina libera eſſe debet. Dùm citrà plenioris libertatis hæret limites, nil niſi famula, nil niſi mancipata eſſe poteſt, celeberrimorum licet artis magiſtrorum in verba juraret. Sic à puero, ut ità dicam, tacitò ſuſpicabar; ſic adoleſcentes inter amicos arbitrabamur; ſic juvenis adhùc dùm & Medicus expertus ſum; haud aliter nunc ratione & nonnullâ experientiâ duce perſuaſum habeo.

Optaveram, Profeſſores ornatiſſimi, meam hanc de Medicinâ mentem, datâ occaſione aliquâ, liberè & palàm declarare. Auctius atque Dii meliùs fecêre. Dùm ſolemnis hæc quâ me beatum vultis Cooptatio, priſtinis quos olim contulerant Medicis Honoribus, ſic jucunditatis, ſic decoris plenam adjungere amat Lauream, novi quàm pauca, ſi quædam mihi-met-ipſi, quàm multa veſtræ opinioni, benevolentiæ, humanitati debeam.... Præſertim eo tempore quo Ducem illum Fortiſſimum (1), Nobiliſſimum, Doctiſſimum, Univerſi hujus Studii non *præſidium* tantùm, ſed & *dulce decus* utroque titulo vindicaviſtis. Nùm ſingularis ejus ergà me benevolentiæ & ſpectatrix & interpres Academia, ſtatuiſſet aliquid mihi impertitum iri illius honoris, quem ſic meritò illa acceperat à Viro in quo tot tantaque laudanda ſunt, ut faciliùs fuerit laudaſſe innumera, quàm plura non omiſiſſe ! Licèt enim non poſſint non vehementer admirari hominis doctrinam, & animum, & fortitudinem, & ingenium, magis tamen amant indolem.

Dùm me huic, ſed quàm longo haud me fugit intervallo, proximum, jubetis eſſe veſtrum, certè jubetis fore meliorem..... Jubetis ut illius, quo communi gloriamur patrono, veſtigiis inſiſtens,

quidquid ſancta poſcit Humanitas, quantùm potero, efficiam.... enitar in quidquid meliùs, optimum & honeſtum.... ſit mihi ſalus populi ſuprema lex. Sic & vobis & meo Mecænati propior fiam. Sed monet quàm profitemur Philoſophia, licèt debitis, tamen optimorum hominum parcere laudibus.

Nec minùs veſtra me, Profeſſores ornatiſſimi, brevitatem encomii jubet modeſtia.

Vellem tamen clariſſimum hujus Academiæ Præſidem (2) quantis ſe ingenii, indolis, & ſtudii dotibus commendandum exhibeat prædicare, qui ſanctè ſapienterque audax, primus forsàn Theologiam ad rectæ Philoſophiæ modulum probandam non dubitaverit; novo ſanè & Theologis noſtris penitùs inaudito ab *Aſtronomiâ* argumento, chriſtianæ fidei patrocinari auſus.

Vellem & conſultiſſimum Anteceſſorem veſtrum (3) gratulari, qui *Gentium jus* quàm *Civium jura* non minùs *doctus*, Legiſconſulti gravitatem morum comitate, conſummatamque ſcientiam tàm ſuavi urbanitate temperat.

Placet Indicæ linguæ Profeſſoris (4) mores anti-

quos auream que hominis ſimplicitatem ſpectare ; dùm in re intricatiſſimâ, arduoque & ignoto negotio, difficili labore tàm facilem aditum docendis patefecerit.

Norunt omnes quam Philoſophiam *moralem* ſic patheticè profitetur ex cathedrâ, non aliam ipſius Profeſſorem (5) nec domi, nec foris (& quâ morum indole !) profiteri.

Nec te invitum quamvis, quî poſſem ſilentio præterire, cui, quidquid annuerant priùs, molle illud atque facetum, utile & dulce, profugienti licèt, & *libertatis* illecebris capto, in Orbem Novum vela danti, denuò patriæ annuerunt Camænæ.... Tu, mî BELLINI.... (6) Gratum & amicum medicis auribus nomen ! Quantùm celeberrimo patruo tuo debuiſſe & debere gloriatur Ars noſtra Saluberrima tantùm ego illi quâ me devinctum habes amicitiæ.... Sed quod jubet illa, tu vetas.... Superſedeo itaque dicendis, ſed multi norunt quàm multis, viciſſim invitus, ſuperſedeam !

Tua hìc potiſſimum res agitur, Doctor Saluberrime (7), cui id perhonorifici muneris incumbit ut Philiatros in Medicinæ ſcientiâ informandos

ſuſcipias. Quod ſum dicturus tu cogitaſti, optaſti, dixiſti. O utinàm & olim faciendi detur occaſio & opportunitas quales & quod faciendum & qui facturus decent! Nunquàm ego meliùs quàm tu feceris dixerim. Præclarum, bonæ Philophiæ plenum, & ad obſervationis & experientiæ trutinam redactum tuum de BILE Tentamen, quantâ cum voluptate perlegerim dicere velle, quantùm vellem, fortaſſe non eſſet hujus loci. Sed argumentum præſtat, & quidem non leve, omnis illius optimi quod à te ſperandum habent Academia, Virginia & Americanæ fœderationis Concives.

Me benignus hic, qui mihi honori eſt, Concurſus veſter, Fortiſſimi, Nobiliſſimique Duces & Milites, non monet, ſed memorem facit omnis illius quod veſtræ jamdudùm debeo & benevolentiæ & opinioni. Veſtra eſt laus, quæ Imperatoris veſtri eadem eſt, & quæ ejus eſt gloria, non alia eſt veſtra.... Cùm enim plus laboris Militiæ nunquàm impoſuerit quàm ſibi, ſic nec plus honoris aſſumendum ſibi unquàm præſumpſit, tùm fortis & generoſus, cùm etiàm felix.... Dùm res ultimo marte peractæ tantæ extiterint, ut nec laudabilior nobiliorve unquàm bellandi ratio, nec longiùs difficiliùſve ab exercitu ullo ſuſceptum iter peractumque, nec

obſidio minori tempore, majore concilio, virtute, fortunâ, geſta commemorari poſſit (8).

Quæ tuæ ſimilis eſt militaris virtus, IMPERATOR INVICTISSIME (*a*), hæc annuente ipſo-metillo Tullio Cicerone, quem ferunt... *Cederent arma togæ* voluiſſe... « Hæc militaris virtus præſtat cæteris omnibus. Hæc nomen Populo Romano..... Hæc Romanæ Genti æternam gloriam peperit.... Hæc orbem terrarum parere huic imperio coëgit. Omnes urbanæ res, omnia hæc noſtra præclara ſtudia, & academica laus illa & induſtria latent in tutelâ ac præſidio bellicæ virtutis. Simùl atque increpuit ſuſpicio tumultûs, artes illicò noſtræ conticeſcunt. Omnia iſta ſtudia de manibus excutiuntur, ſimùl atque aliquis motus novus bellicum canere cœpit.... Cedant igitur, pergit Orator toties Conſul, « cedant forum caſtris, otium militiæ, ſtylus gladio, umbra ſoli.... Sit denique in civitate ea prima res, propter quam ipſa eſt civitas (*b*) ».

Mirari prorsùs ſubit quonam modo auxiliatrices ſibi invicem manus hoc in magno Orbis Novi nego-

(*a*) Comes de ROCHAMBEAU.

(*b*) Tull. prò L. Murænâ.

tio præbuerint & bellicæ & philoſophicæ virtutes. Harum inchoandi provincia fuit, quod perficiendi operis ſibi illæ aſſumpſerunt munus. Quam nam ergò, Auditores ornatiſſimi, optabiliorem unquàm occaſionem nactus, liberiùs poſſem & magis amicis auribus LIBERTATIS thema in medium proferre; quàm in hoc tot Heroum aut Philoſophorum quot Auditorum digniſſimo concurſu?

Veſtrum eſt, aut veſtrum eſſe debet, Viri clariſſimi, quidquid liberum, optimum & honeſtum. Libertatis jus Orbi Novo facitis, feciſtis imò.... Liberam & facitote ipſi Medicinam. Quæ decet, hæc proderit. Nulla homines verè liberos, nulla ſapientiſſimos homines, nulla homines viros, niſi maſcula, virilis & philoſophica decet Medicina.

Non aliam, non extraneam exquiritote quam quæ fuit divini Hippocratis. Hæc præſertim experientiæ doctrinâ conjunctæ laude inclaruit. Cujus, Auditores, quò loci encomium opportuniùs, aptiùs, quàm in hoc Scientiarum optimarumque diſciplinarum ſanctuario; dùm utile dulci miſcere curioſi, Cathedram Arti Saluberrimæ erexerunt, dùm Noſocomium hoſpes in Academiâ, dùm non aliis niſi academicis viris ægrotantes noſtri utuntur

hoſpitibus (9). Quod certè dùm ſingularis illorum humanitatis eximium præ ſe fert exemplar, non minùs ſchema & quidem inſigne præbet omnis illius commodi quo luxuriaretur Scientia Medica, ſi Noſocomium ſemper in Academiâ, aut potiùs ſi nulla eſſet unquàm extrà Noſocomium Medica Academia.

O utinàm ſic ad rectæ experientiæ normam informaretur doctrina in Medicis, ſemperque à Doctrinæ lumine Experientia mutuaretur præſidium! Quo fieret ut nec toties manca, nec rudis toties Experientia, nec toties inutilis, toties ſtultè ſuperbiens Scientia, principatum in alterutram viciſſim uſurparent... exule prorsùs Philoſophiâ, divinâ illâ Philoſophiâ, ſine quâ nec ſublime, nec optimum, nec bonum, nec honeſtum quidquàm, ab ullis unquàm nec ſcientiâ, nec arte, nec hominibus expectandum eſſe videatur.

Rem itaque nec ingratam Auditoribus, nec loco tempori-ve alienam arbitror, ſi tanti momenti argumentum Inauguralis hujus-ce Orationis ſcopum faciam.

Quo in negotio, ut ordo aliquis ſervetur, Medicinæ Hippocratis cæteris omnibus quæ hanc

aut præcesserunt, aut subsecutæ sunt medendi Methodis præcellentiam, primo loco, exponere animus est. Exindè quàm dispar sit quæ in Orbe Novo dominium obtinet Medicina, ab eâ quâ innixus divus Senex arces attigit igneas. Disparitatis hujus nodum solvere Philosophiæ est. Hâc auspice, intrà demonstrationis fines, ut spero, inconcussum manebit, quod *Antiquior illa Medicina, cæteris omnibus Orbem Novum magis deceat.*

Dùm Sapientibus dico, & illius meminisse juvaret, quod *intelligentibus pauca.* Sed vastâ nimiùm, amplissimâque dicendi, quia & sentiendi & cogitandi maxima est, copiâ elatus, vereor ne longior fiam; & si quamquàm ingens admodùm, non tàm dicendi ratio mihi habenda fuerit, quàm audiendi.

PARS PRIMA.

« Ut alimenta ſanis corporibus Agricultura, ſic, ut Celſus amat loqui, ſanitatem ægris Medicina promittit : hæc paucarum olim ſcientia herbarum quibus ſiſteretur fluens ſanguis, vulnera coïrent paulatim (*a*) » ; ſed exindè, (quod némo quem ſciam Philoſophorum animadvertit unquàm), cùm aliundè quam ab agriculturâ ſanis alimenta quæſita ſunt, tunc inſufficiens fuit ægris paucarum duntaxat ſcientia herbarum. Implicatior ſanitas, ſi ità loqui fas eſt, implicatioribus morbis locum dedit, & implicatiores morbi implicatioribus remediis. Cùm non ſatis fuit populis fluviuſque cereſque (*b*), luxuria paulatim increſcens, altioris delicatioriſque palati tentavit pabula, experta eſt potus. Sic datis intricatioribus novorum morborum cauſis, « Remedia illa, quæ naturæ placuerat eſſe parata vulgò, inventu facilia, ac ſine impendio (*c*) », longiùs fuerunt quærenda, remotioribuſque indaganda veſtigiis. Sic & morbos & remedia ab invicem mutuati, noxia à ſaluta-

(*a*) De Med. Præf.

(*b*). Luc. Pharſ.

(*c*) Plin. Hiſt. nat.

tribus discernentes, quæ aliorum salute, quorumdam interitu experimenta fecerant, memoriæ hominum translatitiè primò, dein in templis aut publicis in plateis inscripta tradiderunt.

Observationibus plebeiorum imprimis ortum suum debuit Medicina illa cujus & parens fuit & princeps Hippocrates. Ex iis enim Clinicam aliqualem, fateor equidem, eruerant primi quos sic vocaverant Medicos Empirici, qui ità Artis propriè dictæ Medicæ prima jecerunt fundamenta. Phœnomenorum explicationes, remediorum rationes agendi physicas, dùm posteà tradere conabantur Philosophi, Arti Scientiam Medicinæ addiderunt. Exindè systematum producendorum cacoethes, Scientiæ & Arti Medicorum natales præbuit, simùlque & ansam omnibus illis quæ à Scientiæ abusu metuenda erant incommodis. Quod in causâ fuit cur sapienter admodùm Hippocrates Medicinam primus à Philosophiâ, ut narrat Celsus, separaverit.

Philosophia illa quâ Medicinæ sic probè interdixit jam-jam systematica, audaciæ loquacitatisque plena, otiosorum Dialecticorum & Sophistarum potiùs, quàm re ipsâ curandis morbis addictorum hominum. Spretâ sic facilè inter doctos spernendâ

indoctâ Empiricorum methodo, citò-citiùs principatum in praxi ſibi arrogaſſet garrula hæc & doctè ſuperba litteratorum auctoritas, ni laudatam ſeparationem inſtituiſſet Hippocrates.... Quam non aliâ de cauſâ inſtituendam putavit, niſi probato quod nulla adhuc propriè dicenda Medicina ante ipſum fuiſſet, nulla quæ ejus eſſet indolis, quâ ut ſimplicior, ſic perfectior, ſic generi humano foret utilior.

Scientiam enim *Medicorum* à *Medicinæ Scientiâ & hanc* ab *Arte medicâ* diſtinguendas, qui rem attentiùs perpenderit, nemo prorſùs inficias ibit.

Ars medica ab obſervatione merâ. *Scientia medica* ab evidentium cauſarum & mediorum felici experientiâ comprobatorum cognitione. *Scientia Medicorum*, quo nomine intelligendum veniret quidquid ad gloriam Medici, potiùs quàm ad directam ægri utilitatem pertinere videtur.... Syſtematum vanitas, varietas.... Hiſtoria.... Controverſiæ nimis curioſæ de Phyſiologiâ, aut de Chymicis remediorum agendi rationibus.... bona equidem omnia, ſed tamen in inferiori gradu, ſuntque aut fieri poſſunt periculi plena, ſi à vero proprioque Medicinæ ſcopo, qui ſanitas eſt aut ſanitatis reſtitutio, Medicum præpoſterè avertant; quo pacto fieri

poſſet aut videri doctior, ſubtilior, minus reipſâ beneficio foret utilis.

Artem duntaxat norant qui Hippocratem præceſſerant Medici. Arti divinus ille Senex *medicam* adjecit *Scientiam*. Potuiſſet addere *Scientiam Medicorum*, cùm & ipſe magnus ſui temporis audierit Philoſophus.

Mera rudiſque Obſervatio, vix experientiæ nomine digna, Empiricorum baſis. Doctæ & ad doctorum arbitrium variæ, pro ratione temporum & locorum contradictoriæ Theoriæ, ſæpè non mediocri Medicinæ damno, majorem quàm par erat apud Medicos, etiàm & practicos, adeptæ ſunt auctoritatem. Has inter Scyllam & Charibdim medio tutiſſima prodiit Hippocratis Medico-Philoſophia. Hæc præcipuè ſtat in probè cognoſcendis morbis & ab invicem diſtinguendis, eruendiſque & adimplendis indicationibus non nunquàm claris, probabilibus ſaltem, ſed ſemper aut conatibus aut voto naturæ reciprocis. Hoc opus, hic labor.... Cætera omnia ſemper & ubiquè impromptu. Medicus enim ſi quidem ſuffecerit ad cognoſcendum, ſufficiet etiàm ad ſanandum (*a*); Quo ſenſu nedùm Philoſophiam

(*a*) Hipp. lib. de Arte.

à Medicinâ excluſerit Hippocrates, imò ipſam Saluberrimæ Arti adjiciendam decrevit.... « Oportet, ut ipſius-met verbis utar, « oportet ſapientiam ad Medicinam traducere & Medicinam ad ſapientiam. Medicus enim philoſophus Diis æqualis habetur (*a*) ».

Multus fuit Hippocrates in iis quæ ſunt *Artis & Scientiæ medicæ*, non multus in iis quæ ad *Syſtemata* aut *Medicorum*, ut diximus, *Scientiam*.... Ingenuèque fatendum eſt quod ubi Theoreticus, ibi forſan & mediocris, ut in libris de *Geniturâ & de Naturâ pueri*; aut cùm vult mentem humanam in ſiniſtro cordis ventriculo inſitam eſſe & reliquæ animæ imperare (*b*). Sed hanc mediocritatem excuſat CIRCULATIONIS & PERSPIRATIONIS INSENSIBILIS, hujus à Sanctorio, illius ab immortali Harvæo demonſtratæ ignorantia.... Quæ duo vix inter millena poſt Hippocratem inventa reperies, quæ alicujus in Arte medendi utilitatis fuerint. Multa enim.... innumera demùm invenit, cogitavit, excogitavit, finxit, quæſivit.... De multis & in utramque partem diſſeruit ab Hip-

(*a*) Lib. de Dec.
(*b*) Lib. de Corde.

pocrate ad noſtra uſque tempora Medicorum Scientia.... Et cui aut artis aut hominum bono ?

« Nihil eſt, inquit Tullius, nihil tàm abſurdum quod ab aliquo Philoſophorum non fuerit dictum ». Quantò veriùs effatum ſi de Medicis & Medicinalibus ! Fidem faciat breviſſima, quam potero, pace veſtrâ, in Hiſtoriam Medicam excurſio.

A *Numeris* & *Numerorum Reciprocitatibus* aut *Differentiis* Vitæ, Sanitatis & Morbi Phœnomena repetenda voluerat PYTHAGORAS, ad cujus doctrinæ mentem praxim ſuam direxit EMPEDOCLES ille, qui ſibi met-ipſi pravè Medicus, ut Horatiani illius meminiſtis omnes, *ardentem frigidus Ætnam inſiluit.* Quod *Rhetoricæ* tribuit PRODICUS, id PLATO *Triangulis materiæ*, *ARISTOTELES Cathegoriis*.... PRAXAGORAS, dato incaſſum remedio, non dubitabat *ſectionem celebrare abdominis*, luſtrataque interanea priſtino loco reſtituere. Horum omnium placita, & Hippocratis ipſius-met, CHRYSIPPUS CNIDIUS quidam, teſtante Plinio, ingenti garrulitate mutavit (*a*). Tantùm *Geometriæ*, quantùm *Muſicæ*, ſic multùm ambobus HERODICUS tribuiſſe dicitur, ut Geo-

(*a*) Hiſt. Nat. lib. 21, c. 1.

metriæ aut Musicæ ignaros suis operibus absolutè interdixerit. THEOPHRASTIS, antiquioris illius inter Græcos Medicæ Botanicæ parentis, quis cantilenas, quis tot aniles non novit fabulas?

ROMÆ, in Urbe illâ Gentium & Orbis, tot tantisque pollenti viris, exordium sumit quam vocaverant, posteàque abrogaverunt, Medicina, ab *Amuletis* & *Incantationibus*, quæ à *Psylliorum* superstitiosâ plebe ARCHAGATHUS mutuaverat. Hanc praxim *Fricatrix* ASCLEPIADIS excepit *Methodus*, *Atomis* EPICURI innixa, *Analogismo* inter *Poros* & *Corpuscula Ambientia* allegato. THESSALUM cuncta majorum placita subvertisse, *rabie quâdam in omnis ævi Medicos perorantem* fert PLINIUS. Hic morbos omnes à *Metasyncrisi*, quæ est mutatio universa in corpore, & medelam omnem à *Metasyncriticâ*. Hinc METHODICORUM, EMPYRICORUM, PNEUMATICORUM, ECLECTICORUM, EPISYNTHETICORUM sectæ, aliæ ab aliis non minùs animis quàm opinione discrepantes. Quos inter ARETÆUM probæ existimationis & doctrinæ & litteraturæ virum, & A. CORNELIUM CELSUM vix omni culpâ absolveris.... Dùm Celsus, ille ipse *Celsus*, sic meritò nuncupatus, si ad urbanitatem sermonisque elegantiam,

gantiam, eximiarum rerum ordinem, philoſophicos proſpectus attendas... Quem, (venia ſit verbo), exiguum ferè dùm ad media devenit inveneris... Dùm ſapienter admodùm hauriendorum parcus pharmacorum, *Topicis* quæ vocant externis, iiſque innumeris, quoquò quæſitis & quoquò versùs applicatis, tantum momenti tantamque virtutem tribuendam nullus dubitaverit.

Nec diutiùs Romæ vos morabor, Auditores clariſſimi. Quid enim ſibi vindicandum haberet Philoſophia, nec à Liberto illo Auguſti, *Muſâ*, quem aulicum potiùs quàm Medicum vixiſſe ferunt, quem ſtatuâ, balnei præſcripti cauſâ, donavit Cæſar, imperatoris ſuperbiæ, quam rei ipſius momento conſulens magis? Quid *Andromachus* ille Archiater, & ſic pauperrimè dives ipſius *Theriaca*? Quid totiès celebratus Pergamenus ille Scholiaſtarum parens, & Scholiorum abuſus, magnum primumque exemplar Galenus? Qui in ſapientes Hippocratis libros plus quàm *quingenti* exaravit volumina, in quibus & *Elementa* & *Qualitates cardinales*, & millenas in immensâ verborum quæſtionumque copiâ chymeras, otioſæ doctorum commentatorum induſtriæ illuſtrandas, operoſèque ampliandas & commentandas reliquit.

ARABES inveſtigate : ABBAM-HALI, AVENZOAR, AVERROES, RHAZEM ipſum... Squalidâ omnes infamatos Pharmaciâ.... Theoriâ *Ariſtoteliſmum* & *Qualitates occultas* referente... Qui Chymiam Medicinæ damno-ne an commodo, adhuc ſub judice lis eſt, in hanc tranſtulerunt. Nonne ab iis traditam habemus Rhapſodiam illam & tantifactam olim, & tàm parvi faciendam, ut præceptis, ut verbis, ſic omnibus numeris portentoſam, quam tamen poëmatis aut carminis nomine nimiùm patienter decoratam

Anglorum Regi *ſcripſit* ſchola tota Salerni ?

Quid inter neotericos veteres, & PARACELSUM & HELMONTIUM præſtanti aliundè ingenio viros memorem, totos in Chymiâ & Alchymicis, fumis & fornacibus ? Quid noſtros & *Riolanos* & *Ferlium* & *Riverium*, illos Pariſinæ, hunc Montiſpeſſulanæ Scholarum decus, & linguis & litteris, & ſui illorum temporis Philoſophiâ illuſtres, Apozemata, Vina, Aquas, Look, Syrupos, Pilulas, Trochiſcos, Eclegmata, quibuſvis undequâque acceſitis, mixtis, intermixtis, ambabus, quibuſvis horâ, loco, tempore, indeſinenter præſcribentes ? Quid *Sennertum*, quid *Etmulleros*, quid *Millenos* infinitùs propè referam ? Cùm nullum aut vix

nonnullos investigare sit in hâc longissimâ tot doctissimorum, clarissimorumque quibus Europæana superbiit Medicina virorum serie, qui præjudicatæ cuidam aut saltem nimiùm extensæ & protractæ propriæ opinioni theoricæ aut practicæ non libaverit; nullum qui Chymiæ, aut Botanices, aut Matheseos, aut ipsarum-met pulcherrimarum Artium cultor nimiùm, iisque nimiùm exclusivè deditus, aut scribendi, aut docendi, aut agendi, aut omnia simùl, personam ad prædilectæ disciplinæ normam non manciparit; nullum inter majoris famæ practicos, cui cæteris aut contemptis aut neglectis, adoptiva quædam methodus, *suum*que, ut loqui amabant, & (hujus temporis conditionem) nonnulli adhuc dùm amant, *specificum* non magis arriserit.

Anglis Attractio, *Italis Electricitas*, *Germanis Magnetismus*, *Pulsimania Hispanis*, *Genevensibus & Helvetiis Gymnastica*, *Chymico-Mechanica Gallis* magis arrisere.

Exutoria Chinenses, *Vesicatoria & Cardiaca Angli*, *Venæ-sectionem & refrigerantes Potus Galli*, *Itali Cucurbitulas*, *Rus-*

SIANI Balnea viciſſim & *calidiſſima & frigidiſſima*, *Draſtica* & omnis generis *Alterantia* GERMANI, iiſdem licet in morbis, frequentiùs in uſum advocant. Diætam in acutis, Rationem victûs in chronicis multifaciunt plures, ſed diversè imperant; de hâc vix curant nonnulli.

Nivem BARTHOLINUS, *Ipecacuanham ſuo modo* PISONES, *Simaroubam* HELVETIUS, *Corticem Peruvianum* JESUITÆ priùs & indè innumeri, *Kermetem* CARTHUSIANI, *Antihecticum* POTERIUS, *Pilulas ſuas* MORTON, *Pulverem ſuum* JAMES, *Aquam Melitenſis* MONACHUS, *Ignem* POUTEAU, *Glaciem* POMME, *Aërem fixum* MACBRIDE & PRINGLE, *Calomelas* Variolarum inſertor SUTTON, *Saturnina* GOULARD, *ſuam Cicutam* STORK, *Dulcamaram* FOUQUET, *Arnicam* COLLIN, ſuo loco, ſuâ vice quiſque laudaverunt. Hic *acidis ſpiritibus & æthereis* venena pugnat, quæ *alkali volatili fluore* ille.... Et ut taceam de MAGNETISMO neſcio quo, quod ferunt nunc, ad delirium uſque, bonos apud Pariſinos, in quovis admiſſum morbo, reclamantibus licet ſapientiſſimis ſaluberrimæ Scholæ Magiſtris.... Quot ad vitam producendam *Aloëtica*! quot *Martialia* ad robo-

randum ! quot *Mercurialia* ad luem veneream & chronicos, *Panaceæ* toties, toties *Arcani* titulis & dehoneſtata & inſignita ! quot cætera, quorum impoſſibilis prorsùs foret enumeratio, obſoleta ! quot vana ! quot barbara ! quot floccifacta ! quot oblivioni aut deriſioni data & danda ! & ex his quàm multa renaſcentur & renaſcuntur quæ jam cecidêre, cadentque denuò, quæ nunc ſunt in honore..... Dùm nunc hùc, nunc illùc rapta, attracta, repulſa & medentium & ægrotantium turba, cui & quibus fidem habeat prorsùs neſcia, experimentis & curationibus undequâque in teſtimonium vocatis, incerta manet

Quo fata ferant, ubi ſiſtere detur.

Quò ſiſtendum, Auditores ornatiſſimi ? Jam auſpicamini, certus confido. Hippocrati. Tot illas inter diſſentientes Sententias, tot inter Syſtemata, Theoremata, Paradoxa, quaſſantibus omnia opinionum tempeſtatibus, ſi fractæ illabantur Medicorum theoriæ, *impavidam* doctrinæ ipſius columnam *ferient ruinæ.*

Quantùm etenim diverſas opiniones de omnibus ferè rebus ad varias Medicinæ partes ſpectantibus in medium protulerint Medici omnium

ætatum & regionum, in hoc uno tamen tantùmque conſentiunt, quod Hippocrates ſit, ille omnium, quo duce & auſpice nihil timendum. Hùc certè pertinet Tullii pro Romanæ gentis præſtantiâ argumentum.

Illa igitur ſola admittenda eſt Philoſophia in Medicinâ quæ ſit ut omnium locorum, ſic omnium temporum, quod de paucis duntaxat, ſi Divinum Parentem excipias, dici poteſt. Ab ipſo enim ne minimum quidem gradum corripuerunt nec *Ars*, nec *Scientia*.

Anatomiam & novit ipſe quantùm tunc temporis potuit, & plurimi fecit & diſcendam Philiatris ſuaſit & curavit. Admiſit notionem functionum in ſtatu ſano, quò facilius læſionis genus & gradum in morboſo dignoſcere & curare aptum ſe gereret.

Chymia nos meliùs circà principia corporum conſtituentia docet, quàm olim potuiſſent unquàm doceri per veteris non experimentalis Phyſicæ, imò & experimentalis ejuſdem præcepta, Hanc divinus Parens, non à limine tantùm ſalutaſſet ſcientiam, ſi ſui fuiſſet temporis; ſed non niſi

cum grano salis hujus-ce usum in praxim medicam adduxisset ; ut dicendum superest, ubi verbum unum aut alterum de usu & abusu Chymiæ in Medicis.

Præcipua nunc illius Medico - Philosophiæ lineamenta exponere animus est, & undè meliùs quàm ab ipso-met nunquàm satis laudando Parente ?

Pauca numero, maxima pondere Principia praxis Hippocratis.

« Vita brevis, Ars longa, Occasio præceps, Experimentum periculosum, Judicium difficile. Oportet autem non modo se-ipsum exhibere quæ decet facientem, sed & ægrum & præsentes & externa (*a*) ».

« Medicina additio est & substractio ; eorum quidem quæ exuperant substractio, eorum verò quæ deficiunt additio (*b*). Plenitudinem evacuatio sanat, evacuationem plenitudo ; laborem otium &

(*a*) Aph. sect. I. I.
(*b*) De flatib.

otium labor ; atque contrariorum contraria ſunt remedia, quæ nos natura docuit (*a*) ».

« Naturæ præcipuæ morborum medicatrices (*b*) ; & ipſa Ars medica maximè à NATURA ineſt (*c*) ». Ab obſervatione enim Criſium & Coctionum quas molitur, dierum quibus exacerbationes aut remiſſiones contingunt, natæ ſunt regulæ practicæ de agendo, aut non agendo ; de promovendis, aut augendis, de retardandis, aut ſuſpendendis naturæ conaminibus, in ægri aut ſalutem, aut perniciem.

Aphoriſmi toti ſunt in ſtabiliendis diagnoſtico & prognoſtico, indicationibuſque, aut criſis naturalis, aut medicâ Arte agendæ evacuationis.

« Quæ ducere oportet, quò maximè vergant, eò ducenda per loca convenientia (*d*). Si qualia oportet purgentur confert, & facile ferunt, ſin minùs, contrà (*e*). Sic & vaſorum evacuatio. Concocta

---

(*a*) De Flatib.

(*b*) Epid. ſect. V.

(*c*) De flatib.

(*d*) De humorib.

(*e*) Aph. ſect. I. 25.

medicari oportet, non cruda, neque initio morborum nisi turgeant..... Ut plurimùm verò non turgent (*a*). Excreta non copiâ sunt æstimanda, sed si qualia oportet exeant & facilè ferat æger (*b*) ».

Interdùm sæpius & *Actioni* præstat *Expectatio*, & το θειον, quo nomine *Vires Naturæ Auxiliatrices* intellexit, maximè considerandum in morbis. « Quæ judicantur enim & judicata sunt perfectè, neque moveto, neque innovato, sive purgantibus medicamentis, sive aliis irritamentis, sed sinito (*c*). His qui per circuitus exacerbantur, nihil dandum neque cogendum, sed auferendum de appositionibus antè judicationes (*d*) ».

« Quibus crisis fit, his nox accessionem præcedens gravis: subsequens vero levior plerumque (*e*) ».

Iis paucis, claris, naturæ consonis indicationibus totus practicæ Medicinæ cardo stat. « Iis solis prin-

---

(*a*) Aph. sect. I. 22.
(*b*) Ibid. 23.
(*c*) Ibid 20.
(*d*) Ibid. 19.
(*e*) Sect. II. 13.

cipiis innixi ægrotantes, Artis operâ, maximis malis, laboribus, dolore & morte vindicantur (*a*) ».

Sic ad quædam, eaque pauca numero generaliora capita retulit Divinus Parens functionum læſarum perverſitates.... Hinc indicationes eruit diverſas, ſed paucas; hinc media diverſa, ſed pauca. Intrà enim *Evacuantium* limites ferè coercetur tota Hippocratis Medicina Agens, nec niſi ad Naturæ nutum, imitationemque agens. Quæ vocaverunt *Alterantia* propriè dicta, vix novit, vix ſuaſit, quàm quæ ex rebus, ut aiunt, *non naturalibus* deſumpta.

In *Hygienes* & ſanorum & ægrorum regulis multus & optimus. De *Cibo* & *Potu* nullibi meliora inveneris Præcepta quàm in Libris de *Ratione victus in acutis*. Liber aureus *de Aëre*, *Aquis & Locis* fundamentum audit omnis illius quod deinceps ſcriptum eſt boni hâc de re. « Aſtronomiam non minimùm ad Artem medicam conferre, anni diviſiones temporaque conſideranda, temporumque maximas mutationes obſervandas putat; pro variis enim tempeſtatum conditionibns etiàm & varios

---

(*a*) De flatib.

& epidemicos morbos produci ſæpè ſæpiùs affirmat (*a*), » & horum probè gnarus Medicus, non tantùm futuros prædicere, ſed præcavere potis erit morbos, ſicque civibus ſuis & acceptabilior & utilior fieri, quò Publicæ Valetudinis majorem curam geſſerit. Sic ſylvæ incendio peſtem quæ Athenis minabatur, locorum ventorùmque notitiâ fretus, ſuſtulit Hippocrates.

Nunc quæ fuerit ejus in inſtituendis Diſcipulis methodus paucis expendendum. Ipſe loquitur :

« Medici famâ quidem & nomine multi, re autem & opere perpauci (*b*) ».

« Quiſquis Medicinæ ſcientiam ſibi verè comparare volet, eum his ducibus voti ſui compotem fieri oportet, Naturâ, Doctrinâ, Loco ſtudiis apto, Inſtitutione à puero, Induſtriâ & Tempore. Imprimis igitur Naturâ opus eſt, quâ repugnante irrita ſunt omnia. Si verò Natura optimam viam commonſtret, Arti Doctrina paratur.... quam ex inſtitutione à puero, in loco ad diſci-

(*a*) De aër. aq. & loc.
(*b*) Hipp. de lege.

plinam probè accommodato, cum prudentiâ ſibi comparare oportet. Ad hæc longi temporis induſtriam accedere neceſſe eſt, quo Diſciplina veluti gravidata, feliciter & benè creſcendo maturos fructus efferat (*a*).

Non omnibus locutum fuiſſe Hippocratem putatis, cum ſic in Libro de *Lege* ſcripſit... *nec piſcis hic eſt omnium*.... Paucorum hominum & mentis benè ſanæ, optimi Auditores, hæc poteſt eſſe Medicina, ſed longè paucorum eſt qui in hâc inſtituant alios. Penès ipſos ſit eligere quibus iſtius modi inſtitutio competat, nec niſi docendos docturos ſuſcipiant..... Probentur ſcilicet.... Ingenii ſui, Naturæ, præviæ & neceſſariæ Inſtitutionis in Litteris periculum faciant..... Nec niſi poſt probatum tentamen & ſpes datas idonæi judicentur doceri Artem & Scientiam......... « Hæc enim, Magiſter dixit, ſacra ſunt, ſacriſque hominibus demonſtranda & communicanda, profanis verò nefas, priuſquàm Scientiæ ſacris initiati fuerint. (*b*) ».... Profani autem habeantur ad mentem divini Senis quibus rude ingenium à naturâ,

---

(*a*) Hipp. de lege.
(*b*) Ibid.

nec ullo ſtudiorum aut conatuum improbo labore victum aut vincendum, correctum aut corrigendum..... Hi etenim nihil prorsùs *invitâ* docebuntur, facientve *minervâ.*

Ratus Hippocrates quod longum ſit iter per præcepta, breve autem & efficax per exempla, illorum parciſſimus, horum quoad potuit & proprio marte, & Anteceſſorum obſervatis largiſſimus. Ægri faciem, pulſum, externa omnia quotidiè ſedulâ inſpectione luſtrata, meliorem Medicinæ librum nocturnâ verſandum manu, verſandum diurnâ habuit. Sic Philiatros edocuit quæ cuique anni tempori peculiaris ineſſet conſtitutio...... « Quinam morbi... quid boni, quid mali foret in diverſis, aut conſtitutione, aut morbo....... Quinam morbus longus ſit & lethalis, longus quinam ſalutaris, acutus quinam lethalis vel ſalutaris.... Ex quibus, tùm criticorum dierum ſeries contemplanda eſt, tùm etiam prædicendi facultas ſuppetit : prætereà ex his quibus & quandò & quamnàm victûs rationem præſcribere oporteat, cognoſcere licet (*a*) ». Ab hâc ſolâ methodo repetenda eſt Medica Inſtitutio. « Qui enim hæc &

(*a*) Hipp. de Dieb. crit.

novit, probèque & ſciens iis utitur, errare in Arte non poteſt (*a*). Hic Medicæ Artis cognitionem habet, minimùmque ex fortunâ pendet, ſed & citrà fortunam rectè eam adminiſtrabit. Sic enim tradita, propriâ rei eruditione præſtat Medicina, « firmaque eſt tota, ejuſque præſcriptiones ex quibus conſtat pulcherrimæ, adeòque fortunâ minimè indigere videntur (*b*) ».

Conjecturis, & candidè fateri nullus dubito, quandòque utitur Ars noſtra, certèque ſperandum vetant humani ingenii limites, ut perpetuo quis collineet... « Convenit, dictante Celſo, ſimplex veri erroris confeſſio, præcipuè in eo negotio, quod utilitatis causâ poſteris traditur (*c*) ».... Virum itaque probum & doctum nec puduit nec pudebit unquàm proprios & agnoſcere & fateri errores, quo cæteri hæc & ſimilia vitanda moneantur. Candidè faſſus eſt divinus Parens ſe calvariæ ſuturas pro fracturis habuiſſe.

Sic præjudicatam opinionem emendavit ſtrictior

(*a*) Epid. III.

(*b*) De Loc. in Hom.

(*c*) De Med. lib. II.

& iterata obſervatio, lapis lydius ille, quo ſolo verum à veriſimili, probabile à demonſtrato ſecernendum eſt. Tantùm auctoritatis hâc viâ adeptus eſt Hippocrates ! Nulla in praxi admiſit, niſi quæ Natura aut poſtulat aut docuit. Simplex ſimplicia veri adnata poſtulat & docet. *Artis* & *Scientiæ* quæcumque complicata.... ab iis culpata, laudata ab illis.... De quibus cùm tantoperè non indocti ſolùm, ſed etiàm docti diſſentiant, alterum profecto fieri poteſt, ut earum opinionum nulla, alterum vix poteſt ut plus una vera ſit. « Nullus, inquit Medicinæ Princeps, nullus eorum qui ante nos ſcripſerunt reprehendendus, quod omnia invenire non potuerint, quin potiùs laudandi omnes, quod quædam inveſtigatione agreſſi ſunt (*a*) ». Sæpè etenim ab erroris viâ in veri ſemitam ducti ſunt Neoterici. Cùm in phyſicis rebus præſertim, non tàm facile in mentem venire ſoleat, quare verum ſit aliquid, quàm quare falſum, & faciliùs ſit quid non ſit, quàm quid ſit, quid non ſentiant, quàm quid ſentiant, dicere.

Faciliori igitur breviorique viâ ad veri rectique inveſtigationem pervenirent Medici, SOLA NATURA duce.

(*a*) Hipp. lib. II. de Vict. Rat.

Numquàm aliud natura, aliud ſapientia dixit (*b*).

Si Medicus Naturæ miniſter haberi velit, ſimplex ſit ut Natura.

Morborum eſſentialia ſymptomata, ſigna prognoſtica, media bono uſu comprobata, felicibus experimentis confirmata, omnibus omnium regionum & ætatum Medicis nota.....

Aſt Conjecturæ ingenio fictæ circà morborum & remotas, imò & proximas cauſas innumeræ, paucis cognitæ aut commendatæ.... Iis de rebus tàm variæ, tàmque inter ſe diſſidentes ſunt opiniones, ut quod negat alter, ab alio affirmetur, ſive auctoritas, ſive rationis momenta prævaleant in diſputando.... Et in Pharmaceuticis ſi decimam uſitatiſſimorum partem demas, laudatum in tali regione aut tempore aut libro Remedium, mutatis circumſtantiis, vix Pharmacum audit, ſæpè ſæpius Venenum. Non ità de Venæ ſectione, Purgantibuſve aut victûs Ratione therapeuticè ſumptâ.

Capite gravato, dolente, venis intumeſcentibus ſupervenit ſæpè-numerò *ſalutaris Hæmorragia.*

(*a*) Juv. Sat. XIV.

Docuit *Venæ-ſectionis* utilitatem hæc obſervatio. Febrem quam dicunt *Putridam* ſolvunt non-numquàm *Vomitus aut Diarrhœa*. Hinc *Emeticorum*, hinc *Purgantium* ortus.

Potum Sitis, Cibum Fames docuêre. Bilis amarities Acida commendat. Nauſea & cibi appetentiæ proſtratio Diætæ parentes.

Reliqua omnia in commune humanitatis damnum congeſſere *Scientiæ Medicorum* quam *Artis medicæ* magis curioſi.... Cùm obvio cuivis facillimum fuerit aut argumentum ratiocinio, aut plantam aliquam anteceſſoris ſui *Formulæ* adjicere.... Faciliùs certè id fuerit, quàm rectiùs obſervare Symptomata, aut Veterum obſervatis inſiſtendo, aut ipſorum detegendo errores.

Non MAGISTER ARTIS, ſed *artifex* eſt qui aut *diſputantis* aut *præſcribentis* Scholæ veſtigiis inhærens, occurrenti Medicum minùs quàm *Syllogiſmum* aut *Codicem vivum* exhibet.

Medicum itaque probato non ſi multa, non ſi ab alto quæſita, ſed ſi de medio ſumpta, (ut ſibi quivis ſperet idem), ſed ſi bona, ſed ſi benè ſciat. *Medicina practica in indicationibus genuinis ex-*

piscandis, non ità in remediis excogitandis præcipuè stat. Methodum medendi Hippocratis, causarum conjunctarum & immediatarum cognitioni superstructam, Artis medicæ damno derelinqui questus est SYDENHAMUS, dùm, ut ipsius verbis utar, *remotioribus causis speculatores vani incumbunt.*

Quidquid simplex, totidem tutum, totidem ducente aut agente, docente, aut monstrante naturâ admittendum.... Quidquid compositum aut mixtum, aut intermixtum.... Cave ne tetigeris.... Opus artis est.... Opus & labor.... Dedecus artis! Ast ægro toties labor!

In confesso est quod absque Librorum Medicorum nequidem millesimâ parte, (præter Hippocratem & Hippocraticos Scriptores) medicinam faciant ubique locorum Medici.... Quod illorum plerique ne centesimam quidem partem remediorum communi usu receptorum norunt, & notorum non centesimam in usum unquàm advocarint.

Ergò & absque tot libris, ergò & absque tantâ illâ doctrinæ luxuriantis magnitudine & apparatu, ergò absque tantâ illâ remediorum supellectile,

farragine.... *medicâ Materie*, ut aptiori vocabulo nolentes vocaverunt, fieri poteſt Medicina.... In quâ, ſi alicubi, certè *multa ſcire oportet & pauca agere*, ut voluit BAGLIVI, à quo etiàm & illud, nî me memoria fallit, effatum puto: ABSQUE PHARMACIA POSSUM, ABSQUE HIPPOCRATE MEDICINAM FACERE NESCIO.

Sed nunc ſtabilitâ, pro marte noſtro, Divini illius Parentis doctrinæ & praxis præſtantiâ, ſupereſt dicendum & probandum quod utraque Orbem Novum cæteris omnibus & Theoriis & medendi Rationibus longè magis deceat.

PARS ALTERA.

VASTISSIMAS immensi hujusce Orbis Novi Regiones, si quis philosophico prospectu lustrarit, quantùm Cultura & incolarum Propagatio, corrigendæ primigeniæ ipsius Aëris perversitati contulerint, ratum confirmatumque habere potest.

*Conflagrationis Excandescentiæ*que præcedentis in Borealibus signa; *Maris* & *Aquarum* in Australibus *vestigia;* mediis in Provinciis *innata* quædam, si ità loqui fas est, *Existentia*, periti oculo sic apprimè, sic propriis coloribus expicta objiciuntur, ut vix aliquid dubii circà primordia eorumdem formationis remanere posse videatur.

Atmosphæram primò inquinatam pessimæque fuisse naturæ arbitrari pronum est. Exhalationibus enim tùm Mineralibus, tùm Sylvestribus, tùm Paludosis, tùm & variorum tàm Reptilium quàm Volucrum aut Quadrupedum cadaveribus debitis in Aëra sublevandis aut suspendendis aptior fuit Solis Actio, quàm iisdem corrigendis... Facilisque adhibenda est fides iis, quæ de tot noxiis Cœli Aërisque proprietatibus, quæ in Orbe Novo, ante ipsius

ab Europæis investigationem obtinuerant, narrant Historiæ.

Sed paulatim excisis Lignis, Sylvarum immensâ continuitate partitâ & intersectâ, coercitis contractisque in minores superficies Aquis, & jussis quæ priùs stagnabant inertes, nunc pondere, vi & velocitate auctis, per fluxiles in ampliora rapidioraque Flumina ire canales.... Dùm improbo labore victam, durisque ligonibus sùs-dèque versatis, quæ priùs Venenorum & Monstrorum ferax, & Cererem & Homines suo excipere hospitio doctam voluerunt coegeruntque Tellurem... Dùm sensìm sine sensu destructis aut saltem valdè imminutis Animalium Vegetabiliumque venenatorum seminiis, & Mansiones hinc & indè moliri, & Pagos efformare, imò & Urbes condere cœperunt... Quas inter *correctionis* causas nec quid contulerint conferantque nunc haud omittenda sunt Incendia, quæ parandæ, instituendæ promovendæque Culturæ sic necessaria audiunt.... Ab iis, inquam, cæterisque priùs laudatis, & facilior Solis Actio, potentior intensiorque ejusdem Attractio & Ventorum Accessus liberior, movendo, corrigendo, *meliorando* Aëri, mutuam, simultaneam succedaneamque symbolum contulerunt.

Quantùm mutatus ab illo, qui primis ante Colonos temporibus locum habuit, quem ſpiramus Aërem, res evidentior, quàm quæ indigeat ullâ demonſtratione. Quæ rei conſona fuerat, priorum ab Europâ advenientium, hæc eadem, ſed præjudicata tamen manſit opinio de perverſis Atmoſpheræ dotibus..... Dùm præjudicio ejuſmodi ire obviam, nec ægrotantium, nec valentium, nec Medentium ipſorum-met ſatis unquàm retulerit. Horum enim & otio & propriæ famæ incolumitati, illorum ſegnitiei aut intemperantiæ, id ſyſtematis multò magis erat quòd arrideret.

Si etenim aut Cibi aut Potûs, aut Vigiliæ aut Somni, Quietiſve aut Motûs, animi-ve Pathematum culpati fuiſſent errores, tunc temperans magis, *medicaque*, quàm *miſeram* jamdudùm prædicaverant, vivendi Methodus fuiſſet adhibenda. Tunc Medicis Regulæ fuiſſent iis de rebus ſtabiliendæ. Certè facilius & his & illis fuerit omne malum in vitium Aëris regerere. Sic infelices eventus nec ægris ad Medicorum ignorantiam, nec Medicis ad pravos ægrotantium mores referre unquàm in mentem venit.... Patientiâ undequâque in auxilium vocatâ; non patientiâ philoſophi quâ *fit levius quidquid corrigere eſt nefas*; ſed patientiâ

illâ *negativâ*, quæ ſapere non audet; quæ & ſi victrices poſſet expergefacta, tamen *incogitantis* chariſſimæque deſidiei pondere prægravata, victas agere magis habet partes.

Rem certè attentiùs perpendenti manifeſtum fiet longè magnam eorum quæ vitio Aëris tribuerunt partem, aliis benè multis iiſque evidentioribus deberi cauſis. Morborum in Americâ ſivè *Sporadicè*, ſivè *Epidemicè* graſſantium indolem ſi quis fuerit aſſecutus; ſi quis in *Endemiorum* naturam ſedulò inquiſiverit, huic pro comperto ſtabit, iis producendis minùs aptum quid ineſſe Atmoſpheræ, quàm ineſt & pravæ civium Victûs, Potûs, Veſtitûſque Rationi, vitiis Vigiliæ & Somni, Quietis & Motûs, Secretis & Excretis, animi Pathematibus, alio quo ordinanda ſunt modo, ordinatis.... Quæ omnia probatu facillima, ſi inſpiciamus in eam quam inſtituendam agnoſcimus cauſas inter & effectus analogiam...... Videndum an Endemia Phyſica, ſi qua ſit, ortum ſuum non ducat ab eâ quæ *Moralis*, nec immeritò vocari poſſet *Endemia*..... Quæ priori nedùm ire obviam, ut deberet, imò ipſi favere per quam aptiſſima deprehenditur.

Nunc ſi quid ſit vitii in Orbis Novi Aëre, quòd Sanitati obeſſe aliquantùm poſſit, certè nimiæ ipſius Humiditati adſcribendum foret. Hanc Maris & omnis generis Aquarum Vaporibus, indocti doctique præcipuè referendam cenſent, ſuam hoc in negotio ſymbolùm conferentibus innumeris Arborum Sylvarumque Foliis & proprio ipſarum ſolo. Illæ, ut perpetuæ *Evaporationis principium* in ſe recondunt, ſic & viciſſim vi *Attractivâ*, *Abſorbentique* ſunt donata, Aëris humidi vitium tacitis incrementis augeſcere aptâ.... Sed recentioribus Chymiæ præceptis & inventis demonſtratum manet quantùm Aëri, quem *Fixum* vocant, quâ *Fixitate* pravos, quos ipſi adſcribunt, omnes parit effectus; quantùm, inquam, ipſi aut *Abſorbendo* aut *Corrigendo*, ideòque corrigendo quià abſorbendo, conferat *Vegetatio*.

Quod igitur noxii hinc afferunt, indè & auferunt Sylvæ. Non minùs enim periculi importaret nuda nimiùm arboribuſque vacua Tellus, ut in Hiſpaniâ, noſtræque in Americæ Inſulis obtigiſſe novimus. Et ità, ſi ſapiant Americani, res cedet, ut dùm ne quid nimis Sylvarum & Arborum noceat curioſi, caveant ſatis ſit quod Aëris ſalubritatem juvet.

Veſtra omnium Obſervatio eſt, Auditores ornatiſſimi, voſque præcipuè alloquor, Conterranei mei, de ſubitis maximèque contrariis in Caloris gradu, quas hìc experimur, mutationibus. Dùm veſtra eſt obſervatio, non minor eſt querela. In experientiam obſervatio quadrat, ſed pace veſtrâ, in id quod ſumus experti non quadrat querela. Licet enim frequentiſſimæ maximèque contrariæ obtineant illæ Caloris gradûs alternationes, quæ fuit, obſecro, quænam fuit illarum vis in producendis acutis Morbis? Cùm pulſis Auſtrinis, toties dominium frigidus arripuit Boreas, nùm Peripneumonias illas veras, nùm Pleuritides, nùm punctorios illos laterum Dolores, in Vos Militeſque veſtros ex improviſo afflavit, ut ſolent noſtris in Regionibus, perfida Aquilonum cohors?

Veroſimile prorſùs eſt quod *Pori* ſic alternatim occluſi & aperti, incommoda ab alterutro oriunda viciſſim præcaveant. Sed paulò majora, ni fallor, hæc nos docet Experientia.

Monet tritam illam, totieſque decantatam Acutorum cauſam, ab Aëre frigido calidiorem excipiente parciùs forsàn rariùſque agere, quàm arbitrati ſunt, arbitranturque Europæi Doctores. Cur

etenim ab unâ ſimilique causâ, tàm frequentes in Galliis aut in Angliâ, tàm raro in Americâ, unus idemque ſuperveniret effectus ? En diſparitatis Rationem ab altiori inquiſitam. In Americâ, Caloris gradus multis obnoxius eſt mutationibus.... Sed vix aliqua obſervatur mutatio circà reſpectivam Atmoſpheræ gravitatem..... Quod rectè & quâ par eſt diligentiâ & integritate inſtitutæ, Duodecim per Annos, Meteorologicæ Obſervationes clariſſimum hujus-ce Academiæ Præſidem docuerunt (10).

Hinc & cur illæ Caloris Frigoris-ve varietates, frequentes licet, ſic tantillùm in producendis acutis Morbis agere videantur; & cur forsàn tantâ, noſtris in Regionibus, deſæviant rabie iidem Morbi. Non-ne conjectura manet & quidem non nullius momenti, quod *ponderantis* Aëris *inæqualitati*, ſæpiùs quàm Frigidi in Calidum, aut Calidi in Frigidum mutationibus, tot tantique debeantur Morbi ? Interiorem enim corpori humano concluſum aërem, adverſis viribus cum externo librare jubent Œconomiæ animalis Leges..... Subolitæque huic ſuſpicioni repugnant nec Ratio Phyſica, nec Experientia, nec SANCTORII, ut nulla alia ponderoſior hoc in negotio Doctrina.

Et quidem, ſi peculiari cuipiam Aëris vitio adſcribendi forent Morbi, qui inter Orbis hujus-ce incolas obrepunt, potiùſquàm prorumpunt, Epidemia, Endemiave non minùs Extraneos & inaſſuetos aut Climati aut Tempeſtati, afficeret. Cujus ſuppoſiti veritatem nedùm còmprobet Experientia, è contrà teſtatur quod Exercitui noſtro accidit, Milites nequidem mediâ parte Morborum quos verò ſimiliùs experti fuiſſent in Galliâ, laboraſſe.... Et Symptomata licet graviora, tamen Expectationis ſapientiâ, ſæpiùs quàm intempeſtivæ Actionis temeritate, ſat citò, tutò quidem, nec ſine jucunditate ſoluta plerumque obſervavimus.

Quas Cautiones poſtulat quid nimiùm Frigidus Aër minatur incommodi aut noxii *Canadenſes* norunt; nec Calidiſſimi pericula quibus præcaveantur modis ignorant *Georgiæ* & *Carolinæ utriuſque* Populi. Monitos tamen velim qui noctis excubias, in quâcumque hujus Reipublicæ Provinciâ, gerunt Milites, majora ipſis, *latrante Cane*, imminere pericula, à ſupprimendâ perſpiratione, quàm ipsâ-met *vigente Brumâ*. Metus eſt ne parùm cautos nocturna illa Frigora mordeant. Militis autem Noctiani, Æſtivo tempore, valetudinem in

tuto ponet eadem illa quæ Frigidiori ſæviente Tempeſtate, Vigilum eſt *militaris Toga* (11).

Fontanas Fluviatileſque cæteris præſtare Aquas ſciunt, probantque Americani. Sed in iis quæ Sanitatem ſpectant, deteriora, cum præſertim faciliora ſunt, ſequi dociles, Stagninis Puteatibuſque imprimis utuntur, paucis Fluviatilibus, vix ullis Fontanis. Non ità raro tamen Viatori objiciuntur Fontes, obrepenteſque Rivi... Et quamvis deeſſent propriè dicti Fontes, in inſtituendo factitios vix ulla maneret difficultas, datis Stagnis, Paludibus, Fluviiſve. Ab iis Canales aut cooperti aut potiùs aperti, per ſabuloſos Aggeres longo itinere ducti, Aquam Stillatitiæ æmulam in communia quædam, variæ & uſu determinatæ capacitatis, traducerent Receptacula.

Cujus vitii Puteales Aquas omnis ævi & regionis Phyſici incuſaverunt, eodem illo peccant, de quibus dicimus. *Crudæ* ſunt, ut aïunt, & *duræ*, graveſque ventriculo.... A *terreo ſedimento* quo prægravantur.... Sed cum inter varia quibus corrigenda ſunt Mediis, meliùs nullum audiat quàm eorumdem Coctio, Ebullitio, aut Aromatici, Spi-

ſituoſive cujus-vis aliquod momentum.... quæ omnia & norunt & agunt.... hæc pauca obiter.... Minùs enim prava Elementi Natura, quàm nimia Quantitas epoti nocitura eſt. Sat ſapienter, ſat caùte uterentur, ſi ſat parcè.

Cujus rei ut facilior fiat explanatio, inſpiciendum eſt pauliſper in ea quæ frequentiùs Americanorum ſunt & *Temperamenta* & vivendi Rationes.

Spontaneâ fibrarum Laxitate donatos, meliùs veriùſque dixerim laborantes Mollitie, Debilitateque deprehenderis. Indè Flexilitas illa quæ Staturæ addit quod Vi tùm Nerveæ, tùm Muſculari, cùm Organicæ detrahit; quæ & inertiam Solidorum in Liquida auget & horum Circuitûs Lentorem. Ab utroque quanta malorum ſeries! Hinc *imminuta Corporis Animique* ELASTICITAS... Quo fit ut facilis ſagaciſque Ingenii dotibus, pulchrique & elegantis Corporis præſtantiâ, quo Virium & Dignitatis vellet Natura, eò uſque paucis contingat adire.

Utimur in Europâ fruimurque maximâ & Potuum & Eduliorum diverſitate..... Et ex hâc, qui non annuerant Patres noſtri gratâ varietate,

plurimum boni, dùm modum non excedat, fluere arbitramur.

Quod ſi unam, eamdem ſpecialemque vivendi normam amplecti vellent Regionis alicujus Populi, certè eam deberent eligere quæ ipſis magis competeret. Qui verò debiliori Fibrarum Compage laborant, & Circuitu Humorum lento, Virium Concoctricium Actioniſque Vitalis Inertiam debellandam habent. Laxæ & Aquoſæ, ut ità dicam, Diatheſis pallida præ ſe ferunt Inſignia, dùm roſacæus, qui iis optandus foret generarum Color, vegetiorque vegetiori in Corpore Animus vividioris Motûs Circulatorii, Fibræ expeditioris, Organicæ Concoctriciſque Virtutis, ſic manifeſta, ſic bonæ lætæque frugis præbet Indicia.

Quid autem hanc in Laxum *propenſitatem* augeſcere aptiùs, quàm Ciborum & præſertim Potuum genus quibus abutuntur potiùs quàm utuntur Americani?... Aquoſa enim & plerumque calida, & tàm ſæpè epota, quantùm Digeſtioni, Perſpirationi, Viribuſque obſtent, nemo neſcit. Sic perpetuus quià quotidianus totiuſque diei eſt *Theicæ* potus, tantâ offuſus quantitate, dùm validiori extractus *Infuſione*, Nervoſis Affectibus

ansam præbere non immunis est... nec minùs Ventriculi Tonum minuere, Bili conciliare Inertiam, verbo dixerim, deplorandâ Flacciditate omnia afficere deprehenditur. *Coffœam* cujus usum moderatum hìc locorum planè competere videtur, nimis leviusculâ suâ *Infusione* sic permittunt pervertuntque, ut nec ipsius sapore grato, nec dotibus fruantur, sed ab ipsâ omnes Aquosorum experiantur noxas. *Cerevisia*, *Pomacea*que nimio redundant *Phlegmate*. Liquores illi *crudi* nimiùm, nec sat protractâ fermentatione subacti, novam iteratamque producere apti sunt in Ventriculo, quæ Digestioni adversatur. *Gas* enim HELMONTIO dictum, hìc quodammodò generatur, dùm *Elasticâ* vi præditus hic Aer, eò faciliùs *Expansionis* Legibus obediat, quò minùs obstat laxi ventriculi Debilitas (12).

Spirituosis omnibus quæ Arte peraguntur multa incommoda, paucissima commoda tribuenda sunt. Transitorium Fibræ conciliant Tonum, Atoniæ disponentem. *Irritant* potiùs quam *roborant*. Quò verò sæpiùs *repetita* desinit *Irritatio*, ibì & *Atoniam* obtinere necesse est. *Chocolata*, oleosa, pinguis, compactiorisque indolis materies, vix subigenda, si per Aromatica quædam non *pene-*

tretur, ſolvatur, levior fiat, digeſtionique aptior. Quod *Sanitatis*, improprio ſed vulgato Europæi vocabulo dicunt *Chocolata*, id Fortiores tantùm decet..... Infirmis Debilibuſque piaculum eſto, aliud quàm *Vanillâ* correctum *melioratum*que admittere.

An feliciores ſint in *Ciborum* quàm *Potuum* Electione paucis inquiramus. Cæteris Vegetabilibus Braſſicas, cæteris Carnibus Suillam, (13) eamque magis adipatam & omnes ſemi-coctas; cæteris Piſcibus pinguiores anteponunt.... Sed ſtrictè conſuetudinis lege devincti, intermixto omnibus & ſingulis tanto Butyri aut Cremoris aut Sacchari, quantillo Panis, ejuſque nec elaborati, nec fermentati, nec cocti. Hæc totidem, in calido & aquâ referto Ventriculo, eam *Fermentationem* peragunt quâ caruerant priùs. Exindè Aër incluſus, circum clauſtra poſtquàm fremuit, demùm ſui factus juris, in *Libertatis* indicia erumpit, ſic adſtantibus inaſſuetiſque ingrata, ut aſſuetis quamvis & patientibus moleſta.....

Quid ſibi vult illa *Botulorum*, *Tomaculorum*, *Pernarum*, *Butyri*, *Lactis*, *Dulcium*, *Salſamentorum*, *Ofellarum*, *Piſcium*, *Placentarum*....

tarum.... *Saccharatorum*, *Aquoſorumque Potuum* omnis generis, tàm operoſo otioſorum ſervorum Apparatu, quotidiè manè exhibita Supellex? Quæ nedum Jentaculi, quin meliùs Prandii nomen, ſi ſumeret à tot appoſitis?.... Non tantùm enim ratione *pravæ electionis* peccant in Cibo & Potu; Peccant & ratione *quantitatis* majori minori-ve; Peccant & ratione *temporis*..... Et ut taceam de his qui tàm raras ventriculo aut bibendi aut edendi concedunt inducias, (Quid enim Medicinam inter Philoſophiamque & *Helluones* poſſet intercedere?) Non-ne nimiùm comedunt manè, qui ſe meliùs *Moratos* putant, taleſque audiunt? Num *Potus Calidi*, & *Aquoſi*, *Butyro* & *Lacteis* mixti, *Laxitatem* conciliant ventriculo, horis pomeridianis *Suilla*, *Pinguia*, *Caules* admiſſuro, nec Concocturo?

Nulla aut ferè nulla eſt *Americanorum* Cæna. Hinc negotioſæ tantique momenti Cibationis craſtinæ neceſſitas, quàm non appetentia à viribus, ſed à defectu nutrimenti orta poſcit debilitas. Intereà ſupervenientibus ſerotinis, iterùm ad dilectos Potus confugiunt; & confugere coguntur.... Vix enim bibunt dùm prandent. Solida ergò non imbuuntur Liquidis, dùm opus eſt; ſed laxatum

inveniunt per Matutinos Potus Ventriculum, & cùm perfici deberet digeſtio, tunc nimiâ aquæ ingeſtæ copiâ hanc pervertunt. Alimenta ſemi-cocta, ſic diluta, nedùm nutriant, nedùm neceſſariæ reparationi ſuppetias ferant, oneri fiunt. Huic ſuſtinendo impares inteſtinorum vires, *ſecernendum* ſimul cum *excernendo* deorſùm delabi ſinunt.

Sed Diætæ illius multiplex abuſus. Reliquum Aquæ excedentis proprio pondere verſus Veſicam *abſque Renali Secretione* fertur. Vix ſupereſt quo ſanguini novus ſuppeditetur Chylus, iſque non ſat bonæ frugis qui nutritioni inſerviat; quin potiùs tenuitatem morboſam, frigidam, lentam conciliare humoribus aptus..... Sic totuplici titulo impedita Perſpiratio, ſic Defæcatio imperfecta, ſic Defectus Nutrimenti, ſic Nervorum *Spaſmi à debilitate*, ſic virium Proſtratio, Cachectica Diatheſis.

Favet ne an obſtat prædictis malis ratio *Quietis* & *Motûs*? Obſtaret vellem, ſed favet. Motus *Americanorum* vix cæterorum hominum vigiliæ non impar. Dùm quieſcere ſe putant tantùm, diceres ſomno propiores (14). Videntur Numeri veſtigium incedere, aut *Rythmi* Legibus obedire

tantùm Virgines & Matronæ, quas *Coryphæas* ſaltationis, quas *Terpſychoras* à ducendis Choreis vocant.

Aſt Equitatio illa virorum quotidiana, Inertiæ ſic filia eſt, ut Quietis nedùm Motûs ſpecies, eſſe videatur. Si quid ipſi inſit Motûs, id noxium; Equitant enim ut à Jentaculo, ſic & à Prandio.... Hinc craſſiuſculi illi Ventres, Obeſitaſque nimia.... Non oblivioni dato quantum prava illa & pudore malo ſuffulta conſuetudo aut Equitationis aut Vectionis in Rhedâ, ambulationi longè optabiliori inertes inhabileſque efficiat. Sed *Americanis* verbum inane AMBULATIO; noverant ex auditu tantum, noſtras rident. Dùm periculum facere vetat præjudicata opinio, annuit mala reverentia.

Cum in *ratione inverſâ* Motûs & Quietis, Vigilia Somnuſque deberent eſſe, hæc obſervamus in *Reciprocâ*. Victi improbo labore Servus, improbo otio Dominus, procumbunt ſimul..... Cùm Sigillum nigrum Africano fronti, ipſis non ideò noverca, impreſſerat Natura, duræ Neceſſitatis, infandique Mancipii fatum impoſuit, quæ & hominum Libertatem cum Libertatis ipſis-met

Aſſertoribus, negotiata eſt *habendi immenſa cupido.* Dùm Superbiæ Deſidiæque *Edicto* ſancitum diceres in hoc Orbe, ne quis Ingenuus, nequidem Exercitationis ſalutiferæ cauſâ, *candidæ faciei* dignitatem, ne minimo quidem labore dehoneſtare unquàm poſſet. Sic tua ſunt, MORPHÆE, in Orbe Novo altaria, plumeis ſemper culcitris ſuperſtrata, plurimoque Deus Papavere gaudes!

Ut cœlum Americæ, ut Aëra, ſic & Vegetabilia, ſic Animalia, ſic Homines Temperantiâ quâdam affici, res obſervatu ut digniſſima, ſic facillima. Plenam *Lenitatis* indolem, ipſamque iram hìc leniorem mirari ſubit; & quam

Inſani leonis
Vim ſtomacho apposuiſſe noſtro,

fertur Prometheus, Orbi Novo adhucdùm ignota, nequidem Republicâ regem abrogante. Æquam rebus in arduis ſervaverunt mentem, in triumphis ab inſolenti temperatam lætitiâ. Dos innata, an virtus? Ambigitur; ſed puto in virtutem magis pronam etſi dos innata tantùm.... Et certè à tali indole proſpera quæque in commune Reipublicæ bonum ſperanda. Caſtos, integros, pios temperanteſque probo; & Libertatis & Natorum &

Patriæ quæ arridet, ut nullo alio, amore captos.... Sed nimis in Melancholiam pronos quî possem laudare & Medicus & Gallus & ipsis Amicus audire cupiens!.... Gaudii comites & sequelæ aucta circulatio, facilior distributio & secretio, actio muscularis expeditior, dùm gratis subsultibus concutiuntur nervea stamina.... Ast mentis affectiones lentæ, quàntùm, eheu! Viribus tùm corporis quàm animi motricibus opprimendis aptæ! Dùm triste severumque supercilium & supercilia conjuncta, fugatis à Cœtu, à Convivio, à Colloquio Gratiis & Jocis & Risu, tot formâ cum *Venere* æmulari dignas, in rigidiores sapientioresque immutant *Minervas!*

Cùm sic juvenes nubunt, vereor ne juniores, quàm par est nubant. Hinc novo operi impendunt, quas prioribus perficiendis *Moleculas Organicas* prudens destinaverat Natura. Hinc proles facilis facilèque crescens, sed cujus Mollities Laxitasque foris prodest, dùm intùs vis nervea languet, fatiscit partium tonus & prolem debilem excipit debilior, mox datura progeniem vitiosiorem.

Sed ut ad *Animi Pathemata*, liceat mihi unam aut alteram hujus in Melancholiam propensionis

causas subolere. Puerorum privata Institutio domi peracta. Junioribus, quæ meliùs Virorum esse deberent, citò nimis commissa Munia & Negotia. Librorum non nisi seria & Politica præsertim agitantium Lectio multa. Sed imprimis parcior, qui viros inter & mulieres intercedit, *Confabulationum* Societatisque usus. Hinc fit ut Matronis cedat timiditas & quid inconcinnæ *Vestalisque*, ut ità dicam, severitatis; Viris & politioris Elegantiæ & Urbanitatis major incuria. Quæ sanè cuncta Ludi publici, ut Græcis Romànisque mos fuit, quales tùm veteres, tùm recentiores legum conditores instituerunt, præcaverent; seu Pilâ, seu Luctâ, seu Cursû contendere & Armis, seu Choreas ducere, seu in Aperto placeret magis.

Per Dies Festos, vellem interiore *Campanici*, aut *Burgundiaci* notâ beare avos, proavos & mediæ ætatis viros, remoto reclinatos in gramine; Aniles, ex re, nec suâ sine voluptate, garrientibus fabellas Aviis.... Dùm lætabundæ Juventuti, pede libero pulsatâ tellure, bibendum foret *Indigenæ vitis* vinum (15)..... Cur etenim, hoc in Orbe, suo defraudaretur antiquo honore BACCHUS? Non-ne spontè suâ nascitur hìc ubique loci ejus arbor! Non-ne inculta licet, altis se ipsam

maritat Populis, & viatori, ut brachia, luxuriantes uvis racemos tendit? Ipſe vos Liber, Viri Liberi, provocat, prodocet & monet.

> Nullam ſacrâ vite priùs ſeveris arborem,
> Siccis omnia nam dura Deus propoſuit, neque
> Mordaces aliter diffugiunt ſollicitudines (*a*).

Nec ipſam Senatoriæ gravitatis dignitatem Voluptas honeſta, Ludi, Gaudium, gaudiique dedecent Indicia.... Nùm SOCRATI, Sapientiæ illi & filio & parenti, *nucibus* cum pueris ludenti in viis & compitis ſæpiſſimè deprehenſo, aliquid ſummæ quâ Virum bonum exiſtimatione proſequebantur Athenienſes detraxerunt unquàm! & indomita illa PRISCI CATONIS, *narratur*-ne *ſæpè mero caluiſſe virtus?*..... Quid SCIPIONES, quid LÆLIOS, quid magna nomina infinitus propè in lætitiæ encomium & exemplum referam! Cùm & ipſe Hippocrates, quam pluribus in locis & relaxandi animi neceſſitatem, & Vini & Veneris & Muſicæ laudes dixerit, & circà eorum uſum monita, & utilis cum etiàm & gratæ Gymnaſticæ præcepta attulerit, à cujus inventione, ut ipſe refert, Eſculapio divinos honores tributos dicunt.

(*a*) Horat. Od. Lib. I. XVI.

Quæ fuerit primorum Colonorum tempore, Medicina, Hiſtoriæ auxiliantis teſtimonio pronunciare difficillimum, conjecturâ augurari faciliùs... Pauciſſimos ipſorum infirmæ, multò plures robuſtioris valetudinis fuiſſe putandum eſt. Nùm etenim illis *robur & æs triplex circà pectus* fuit, qui primi, relictâ patriâ, fragilem truci Oceano commiſerunt ratem, quocumque tuliſſet Fortuna, ire parati? Celebrioris alicujus famæ Medicos cùm ipſis vela feciſſe vix vero-ſimile eſt. Nam de Politicis parùm curant Medici, nec ipſis

Tantum Relligio poterat ſuadere malorum;

multò minùs rem faciendi cupido, cum nullibi unquàm à Medicinæ Exercitio, uberiores fructus quàm in Angliâ fuerint! Prima igitur, quantùm conjecturâ aſſequi licet, his-ce in Regionibus Medicinæ fundamenta jecerunt Navium Naviculàrumque ab Europâ advenientium Chirurgi.

Vix intrà dubii manet limites illos ſecum advexiſſe Principia quædam Theorica, ſeu Syſthematica, ſeu demonſtrata, eaque aut pravè aut rectè accepta, intellecta, interpretata, immutata, aucta, imminuta-ve.... Non-nulla ad cognitionem Hiſtoriamque morborum pertinentia..... Anatomiæ

levioris Excerpta, quædam, aut indigesta Rudimenta..... Sed remediorum tàm *Galenicorum* quàm præsertim *Chymicorum*, quæ tunc temporis in Angliâ florebant, longam amplamque seriem. Hûc ergò advenerunt cum primis Colonis, primisque Medicinæ Cultoribus *non Medicis*, & præjudicia quæ tunc obtinuerant in Orbis antiqui diversis partibus, undè emigrabant.

Denique non omnes eadem mirantur amantque (*a*).

sic ut nulla earum quæ circa Morbos aut Pharmaca, Navem conscenderant variæ Opiniones, nullà quæ æratâ triremi, nondùm visâ tellure, discesserit.

Nunc, ab iis omnibus quibus paulatìm intermixta, intertextaque sunt Indorum Indigenarum tot superstitiosa Dogmata, tot præjudicatæ Opiniones de Aëre & Locis, de noxiis omnis generis Potestatibus, de Morborum Causis, Naturâ & Curatione.... Tot Specificis referta, eò rudior, quò pluribus instructa mediis Pharmacia.... Ab iis, inquam, undique collatis membris, conflata est Medicina illa portentosa, cujus nec pes nec

---

(*a*) Hor. Epist. II. lib. II.

caput ulli unquàm reddetur formæ, quæ Colonorum injuriâ in Orbe Novo dominata eſt, quæ quot damna Civibus afferre apta ſit, illius ſoliûſque pronunciare eſt, qui rem Philoſophico oculo obſervaverit.

Cur nomine DOCTORIS impromiſcuè utuntur quibus ne primoribus quidem labris numquàm contigit vel ſumma litterarum flumina delibaſſe.... Quibus omne illud quod ad humaniores Artes, ad Philoſophiam, ad quidquid bonæ & doctæ frugis attinet, non minùs quàm *Occultas* quas dicunt *Qualitatum* natura ignotum.... Qui Academiæ limen ſalutarunt numquàm, quare ſalutatis DOCTORES ?

Doctor Medicus ille eſt, qui ad Artis Saluberrimæ legum mentem & Statuta, audito, ſcripto, lecto, viſo, quidquid morbos cognoſcere & curare aptum facit, prævio agone, præviiſque tentaminibus, in cætu *Doctorum*; non à *doctrinâ* tantùm, ſed & à *Doctoratu*, dignus judicatur, qui gradûs illius conſequatur lauream. Et nimiùm patienter patimini Virorum qui ſtudiis impalluerunt mercedem, Honorem ſic uſurpari ! *Jus domûs* transferri ad extraneos !

Si de Nomine præposterè assumpto ageretur tantùm, quàm magni equidem, sed quàm levioris momenti abusus! Sed periclitantur, detruduntur, proculcantur sancta Humanitatis jura, dùm titulus ille *Doctoris*, quo homines nec docti, nec *Doctorandi*, nec docendi utuntur non-numquàm; fiduciam omnem facit & *Medicastri* ipsius-met & ægrotantium. Possunt quià posse videntur, dicunturque. Venia sit verbo: *ex sutore Medicus*, non Fabula, sed Historia & quidem non una apud vos. Qui sutor dormivit, Medicus expergisci potest, si Medici personam velit gerere. Potest enim digito monstrari & dici: *hic est Doctor*, cui satis fuit dixisse: *Medicus sum*. Sed *Specificum* accepit hic, *Panaceam* ille novit, *Dyssenteriarum* unus, *Febrium intermittentium* alter curationem, ut nemo meliùs, assecutum se fuisse gloriatur.... Dùm homines aliundè probos, religiosis imò dotibus insignes, sed negotiis, ut nulla alia magis, à Medicinæ negotio alienis, remotisque deditos, non pudet, experientiâ in testem vocatâ, ipsi-met *Malignæ febri* (*a*) *suam* ut dicunt, *adaptare methodum*.... Suam methodum!

(*a*) The Virginia Gazette and Weekly Advertiser, May 1782.

Ad populum phaleras ! Hâc adhibitâ non occidisse quàm sanasse, non minùs impossibile esse docent rudiora ipsius Artis Prolegomena, legumque physicarum primæ lineæ.... Dùm *à quo venum eunt*, *ab eodem illo præscribuntur* Pharmaca.... Dùm tamen hoc in negotio *Ratio præscribentis* & *Ratio vendentis*, vix una eademque esse possint, quin *Ratio sumpturi & soluturi* non planè aliena sit.... Dùm matronas ipsas-met, dùm ancillas, dùm servas, dùm mulierum nec pudorem nec modestiam dedecere arbitrantur & naturam morborum assignare, & Monita & Remedia dare ! Proh ! bone Esculapi !

> Nunc malè res junctæ calor & reverentia pugnant ;
> Quid sequar in dubio est ; hæc decet, ille juvat (*a*).

Ea res est, Auditores ornatissimi, ea est quam horresco referens. Stultorum tot generis est pudor hic malus, quo fit ut suam ignorantiam fateri, nequidem sibi-met ipsis nescii, nedùm *per mortes experimenta* faciant & sumant, imò per iterata experimenta nil nisi mortes adducant. Hos non-ne innuit HIPPOCRATES in Libro de *Priscâ Medicinâ*, dùm dicit :

(*a*) Mart. Epigr.

« Quod plerique malorum navium gubernatorum ſibi ſimillimi videantur, qui ſi tranquillo mari navem regant, nemo eos peccare deprehendet, quod ſi eos vehemens ventus aut tempeſtas oppreſſerit, jam omnibus manifeſtò conſtat eorum imperitiâ & culpâ fuiſſe perditum (*a*) »..... Dùm enim leviter affectis attendunt, eos ſanaſſe videntur, in quibus etiàm graviſſimi errores nihil periculi admittunt. Et ſanè cùm multò major ſit levium quàm graviorum affectuum numerus, dùm delinquunt Medentes aut Vulgus Medentium, id Vulgus Reſtitutorum latet ; & *totidem ſanatos, quot non occiſos*, propriæ illorum generis ſapientiæ numerare eſt. Sed deſæviente tempeſtate & furentibus Boreis.... Vix durare poſſunt imperioſius æquor...... non ipſis ſunt integra lintea....... Non Dii quos iterùm preſſi vocent malo.... Tunc ventis ſe probant debuiſſe ludibrium.

Tantis in Americâ malis vix obſtant, quos doctorum virorum ferax Anglia informaverat, probaverat, miſeratque Medici... Vix quos naſcentes Orbis Novi Medicæ Scholæ legitimâ donârunt Inſtitutione & Laureâ. Hinc & indè apparent rari

(*a*) De Priſcâ Med.

ſapientes tam vaſtis in regionibus..... Et quod ab eximiis illis Viris non niſi optimum effluit, in quorumdam duntaxat gratiam poteſt. Sic votis inanibus pro ſalute publicâ ſuperſtare coguntur!

Abſit verbo injuria. Nemo ſanctiùs veros genuinoſque Eſculapii filios, colendiſſimos meos Collegas aut Anteceſſores advenerabitur unquàm, quantùm ipſe-met non profiteor tantùm, ſed & profiteri glorior.... Reformandam Orbis Novis prædico Medicinam. Sed Medicorum qui rèipsâ tales, ſed pauciſſimi ſunt, hoc tantùm titulo agitur res, quod quæ illorum eſt & quâ pollent & illuſtrantur Medicina optandùm ſit ut fiat cæterorum omnium, & utinàm non ſeriùs!

Primum ergò præcipuumque *Medicinæ Americanæ* vitium eſt, quod ſæpè ſæpiùs *veniat ſine Medico.* Nùm mea hæc ultima verba, pleroſque veſtrûm, Auditores ornatiſſimi, memores faciunt, famoſi illius quod ſibi ipſi *Joannes-Jacobus Rouſſeau*, ſuo in EMILIO, dicterii permiſerat adverſùs Medicos & Medicinam?.... « Medici (inquit ipſe) ut Medicinæ patrocinentur, artis dignitatem extollunt, & in vitium Artificis quidquid accidit mali ſemper regerunt. Sed ſi ars optima, artifex

pessimus, hæc adsit, hic absit: *Veniatque sine Medico Medicina* (*a*).

Neminem prorsùs vestrûm fugit quantum famæ illud facetè dictum arripuerat & quo risu exceptum ab iis quibus Medicinam cavillàri, quam subvertere faciliùs.... Cavillationem præsertim nobilitante ipsâ-met famâ auctoris, Viri illius sibi uni non dissimilis, omnium quas omnes colebat scientiarum inimici, hominum quos fugiebat amici..... Et dicendi & scribendi non nimùs quàm agèndi ratione nimiùm audacis, qui captiosis litterarum eloquentiæque illecebris eò usque devenerat, ut & *Paradoxa* quamvis, illo tamen scribente *Axiomata* viderentur.

O nequàquàm, Genevensis Civis optime! quæ tua sunt, non nisi *Viri boni* audire possunt *somnia....* sed tuum hoc somnium est, somnium & dialecticè prava. Absit tecum ex datis concludam quod sit Medicinæ sine Medico veniendum. Quid enim Ars sine exercente, quid absque professore? quid corpus sine pectore? quin potiùs totis faucibus exclamem: Numquàm sit vobis, obsecro, ô Cives Ame-

(*a*) Emile ou de l'Education, Tom. I.

ticani, Medicina ſine Medico..... Tunc etenim, ut veſtra, aut nulla eſſet, aut penitùs damnanda. Quæ ſine Medico eſt, exulet, proh! exulet prorsùs! penitùs abſcindatur Ars adeò nefanda!.... flammiſque lethiferæ Scientiæ tradantur Libri!.... Sed Dii meliora piis Civibus!

Proſequor exponendo vitia quibus abundat prava illa medendi Ratio, ſic generaliori modo admiſſa, quæ ſic altas animis imperioſa radices egit, ut non niſi difficillimè queant divelli.

Nec vereor ne citrà probationis limites hæream, dùm aſſero quod ne minimam quidem recondat illius *Medico-Philoſophiæ* ſcintillam quæ foret optanda. Aut enim planè Empirica, aut pravè Docta.... Ipſi nulla diætæ nec in Acutis nec in Chronicis cura. Ab *agendo* vix ceſſat *expectationis* prorsùs neſcia; dùm verò agit, numquàm ſimplicem in mediis, *polypharmacam* ut nulla alia magis, & quod pejus, ſed neceſſariæ eſt conſequentiæ, RARO FELICEM deprehenderis.

Hanc curationis morborum partem, quæ victûs Ratione inchoatur ſæpiùs, perficitur nonnumquàm, quanti fecerint veteres Medici jam dictum.... Sed Divino

Divino Hippocrate nemo pluris fecit, dùm innuit « quod neceſſitate coacti homines Artem Medicam invenerunt, eo quod oblata ægris benè valentium victûs Ratio nihil contulerit. Nemo enim meâ, inquit ipſe, opinione ad Medicinam inveſtigandam animum applicaturus fuiſſet, ſi eadem victûs Ratio & ægris & ſanis accomodata (*a*) ».

Quantùm diſtat hodiernæ Medicinæ victûs Rationem regendi Ratio ab eâ antiquorum ! Sed ſi Americana Praxis majoris hâc in re erroris incuſanda venit, fatendum quod id præjudicii & negligentiæ mutuata ſit ab ANGLIS, qui in victu præſcribendo delinquunt, non quantitate tantùm ciborum, ſed & quantitate potûs; hoc ſtantes Aphoriſmo : *Dandum aliquid Conſuetudini & Regioni.* Nunquàm autem voluit Aphoriſmi ſenſus ut quid nimis; nec, ut prava cum foret, tantùm Conſuetudini daretur. Nullibì vero in Europâ Hippocraticis circà diætam regulis propinquiores reperiundi ſunt Medici quàm noſtrâ in GALLIA. Nec majorem hujus laudis partem immeritò ſibi vindicat Celeberrima Facultas Pariſienſis. Et quidem primus ille eſt Medicinæ gradus

(*a*) Hipp. lib. de Priſc. Med.

quo poſito faciliùs ad altiores uſque aſcenderit Ars Saluberrima, dùm *Remedia* propriè dicta adhibitura eſt iis caſibus in quibus non ſufficit ſola victûs Ratio. A ſapienti illâ abſtinentiâ quantùm boni !

Diætâ ſtabant præcipuè & hoc ſunt verè imitandi Veteres.... Hoc primum eſt *Expectationis* caput, quod Medicos docuit cibi appetentiæ proſtratio. Initio morborum *Actione* & *moventibus* abſtinebant, ne viribus Naturæ, ſæpiùs in ægri ſalutem conſpirantibus, obſtarent. Non niſi evidenti indicatione à Naturâ ſumptâ, *Emeticis* aut *Purgantibus* indulgebant, & frequentiùs abſque turbis, ne malo pejor fieret Medicina.... A quorum ſapientiâ ſic degeneravêre plurimi medicinam facientes, potiùs quàm Medici Viri, ut vix ab *agendo* & à tumultuariâ actione initio morborum ſibi temperent.... Arti fidentiores quàm Naturæ, Venæ-ſectionem, Emetica, Cathartica, Epiſpaſtica, ad ſuarum regularum normam, audacter præſcribunt & ſuperbiendo clamant, ſe *Criſim* facere, aut properare, quàm expectare malle. Hâc methodo toties laudatum, *citò*, *tutò* & *jucundè* medendi traditum munus, ſe pro dignitate tueri ac ſuſtinere jactitant.... Sed attendant, velim,

Crisim nimis citò promotam, non meliorem tardiùs peractâ.... Et ipso-met annuente Celso, quî prudenter addit : « id votum erat, sed ferè periculosa esse nimia & festinatio & voluptas solet (*a*). Æquè in utroque casu morbi *Recidiva* metuenda est. Crisi etenim imperfectæ nulla fides habenda. Et illa duntaxat *Crisis* nomine vocanda venit, quæ perfecta, quæ sancitis à Naturâ legibus non abnormis est. A præposterâ Actione fictitia nonnumquàm, larvata & personata Restitutio.... Sed nedum Sanitatis, imò sæpiùs Chronici alicujus Morbi initium meliùs audiret. Sic Febri Acutæ, sic Pleurisi præcipiti & imprudenti Actione profligatis, non rarò Hydrops aut Phtisis superveniunt. Cui etenim causæ adscriberent tot & tàm frequentibus frequentiores *Chronicos* ?

Plures certè numerantur in iis Regionibus & Circumstantiis Locorum in quibus aut Acutorum difficilis Curatio, aut *festinans* nimiùm *Medicina* Crisium perfectioni obstitit. Cujus argumentum, & utinàm levioris momenti, videre esset in hoc Orbe ! Quæ à *Morbis* reliquuntur post Crisim *Recidivos Morbos* facere consuevisse tradit Hippo-

---

(*a*) Cels. lib. 3, cap. 4.

crates (*a*). « In morbis autem ubi alter alteri ſuccedit, is plerumque interficit. Corpus enim ex præſenti Morbo imbecillum redditum, ſi alter Morbus acceſſerit, ex imbecillitate priùs perit, quàm alter, qui poſterior acceſſit, morbus deſinat (*b*) ».

Inſpice Convaleſcentes poſt *Agentem* & reſtitutos poſt *non Agentem*. Hinc Criſim perfectam, brevis Convaleſcentia; Convaleſcentiam brevem Sanitas perfecta excipit. Illinc Criſis imperfecta Recidivas aut parit aut minatur. Longam difficilemque à morbo Convaleſcentiam ſequitur ſic *dubia Valetudo*, ut nedùm Sanitatem adeptos, *morbum morbo mutaſſe* ſatiùs crederes.... Dùm *Gallum Eſculapio* ſe debere lætus profitetur ille, huic timendum eſt ne fiat *Libithinæ quæſtus acerbæ*.

Cùm multa agere intendit & quandòque ſibi *agenda fecit*, ſi id paucis & ſelectis mediis, in minoris reprehenſionis vituperium incurreret illa Medicina. Sed neſcit niſi multis; & ab illâ quàm

---

(*a*) Aph. XII. ſect. I.
(*b*) Lib. de Affectionibus.

finxit tot Cauſarum tàm *remotiorum* quàm *inſtantium* complexione, eruit implicatiſſimam illam Methodum, quæ propriam cuique malo medicinam, ſpecialem cuique ſymptomati vellet adhibere medelam.

Fruſtrà vanùmque clamat Philoſophia, ipſomet Hippocrate dictante : « UNA EST NATURA, UNA EST VITA ET SANITAS ; CONSENSUS UNUS, CONSPIRATIO UNA, CONSENTIENTIA OMNIA (*a*).... » E contrà ſuperſtitioſa & garrula *ſciolorum* doctrina narrat de *Naturis*, de *Temperamentis*, de *morborum* infinitâ *Varietate*, de *Remediorum innumerabili ſupellectile*, quàm bona mater Natura *ſpecificè* tot morbis profligandis obtulit.. ſors vidit.. confirmavêre, direxêre, emendavêre *Ars* & *Experientia*.. Clinica *togata* & *ſuo modo bellica* Pharmacia.. Et eò uſque in humani generis perniciem devenit rès, ut dùm id muneris ſibi-met ipſis à pauciſſimis Sapientiæ filiis impoſitum eſt, ut de Moralibus ſimùl & Phyſicis vitæ incommodis quidquàm in dies detrahant, ſtultè doctorum major numerus, in id operam ſuam impendant, ut timoribus timores, pericula

(*a*) Lib. de Alim.

periculis, morbos morbis, remediis toxica, & miſeriis infortunii coronidem adjiciant. *Pharmacia* enim & ſtoliditas & habendi cupido auctiores amplioreſque vellent *Codices*; dùm Sapientia & Philoſophia & Philanthropia emendatos, id eſt, ad milleſimam partem imminutos.

Varia, meliùs dixerim innumerabilia quibus morbi ſtipantur Symptomata, Hiſtoria aut potiùs Fabula tot millium cauſarum cuivis morbo producendo concurrentium, difficultates ſummas in Arte medendi arguent ſanè, & argumentum præſtare videbuntur Agenti, adeòque multifariis utenti Pharmacis Medicinæ.... Sed perperàm. Cum enim diverſis viis diverſæ cauſæ eodem concurrerint.... raró rariùs diverſæ veniunt *Indicationes* adimplendæ. Si veró adſint, Major eſt quædam quæ cæteris præſtans, iis omnibus ſuperadſtat prævaletque. Nec aliter ubi de Remediis agitur, res cedit. Innumera enim licèt adhibeas aut adhibere velis, ad quædam eaque pauca & determinatæ cujuſdam claſſis referre cogeris. *Poſt* quorum adhibitionem curatur Morbus.... Volo; ſed abſit quod concludere velim *propter* hanc.

AB ALTIORI enim repetendum eſt CURA-

TIONIS CUJUSQUE PRINCIPIUM. Paulò majora canamus, Auditores.... VIRES scilicet NATURÆ MEDICATRICES. Sunt illæ omnibus communes morbis & CURATIONIS *quandòque EFFICIENS MAGNUM*, *semper autem MAXIMUM JUVANS*...... Alia Specifica negaturus, Unicum agnosco. Magnum illud Specificum cujus Nomini qui assurgere nescit, Medicinæ se natum negat, MAXIMUM ILLUD JUVANS, NATURA EST.

Quod Φυσιν *HIPPOCRATES*, *Animam STALHIUS*, *HELMONTIUS Archæum*, *Mechanismum BOERRHAVIUS*, *HALLERUS Irritabilitatem*, *Vim Organicam*, *Actionem Glandularum* & *Plexus Cellularis BORDEU*, *BARTHEZ Principium Vitale*.. nuncupavêre, divinum quid sapit, quod *annuente renuente*-ve Arte, tantâ & in *producendis* & in *tollendis* morbis præditum est Efficaciâ.... An *Nervorum Fluidum*; an *Solidorum Staminum Compages* & *Actio* & *Sympathia*; an Fibrarum *Elasticitas*; an *Vis Motusque Circulationis*; an Quid in Humoribus *Electricum*, *Magneticum*, *Igneum*, an *Æthereum*.... An Quid rectæ inter *Constituentia* Corporis *Elementa Proportioni* debitum, Naturâ suâ ignotum, Actione notissimum, facit

Neſcio quid illud, quo *dato Vivimus*, quo forsàn *ſublato Mors* inſequitur, quo *rectè ordinato Sanitas* viget, quo *perverſo* dantur *Morbi*, quo *auxiliante* & *duce* ſuperantur morborum Cohors, dùm fit aut *Reparatio deficientis*, aut *Coctiò crudi*, aut *Abſtractio redundantis aut noxii?*..... Hanc Naturæ *Sanatricis* Actionem non in *Acutis* ſolummodò obſervare eſt, ſed & *Chronicorum* Affectuum conditio *ſine quâ non* curantur non minùs audit.... Quid enim *Hepatica*, quid *Splenetica* dicta?.... Nec putent ſanato Hepate, etſi ſuis ſanaretur *Hepaticis*, ideò reviviſcere corpus. Sed volunt Œconomiæ animalis leges, ſanato corpore in quo OMNIA CONSENTIUNT, ſanari & Hepar. Quid magis ſtultum quàm morbo cuipiam nomen dare & dato nomine Pharmacum?.... « Quid enim temeritate turpiùs? Aut quid tàm temerarium tàmque indignum ſapientis gravitate atque conſtantiâ, quàm aut falſum ſentire aut quod non ſatis exploratè perceptum ſit & cognitum ſine ullâ dubitatione defendere (*a*)? »

Nullum, Auditores ornatiſſimi, nullum ego

(*a*) Cic. de Nat. Deor. lib. I.

novi morbum quo posito addictum conveniat Remedium aut vulgò addicta Methodus. Ut *Specifici* enim nomine insigniri possit, *omni & soli* convenire debet.

Chimæra est ergò, Chimæra & Vigilantium somnia sunt. Si cui specialis curatio posset adaptari, certè Peripneumoniæ veræ. Venæ-sectionem dico. Sed non-Plethoricis, sed Debilibus, sed Senectuti, sed Infantiæ, sed Tabefactis, sed à *serosâ colluvie* Affectis quo mederetur modo? Nùm Febris *Intermittentis*, aut *Castrensis*, aut *Nosocomialis* Specificum exclusivum *Cortex Peruvianus*? Nùm nulla fuit ante *Kinam*, Febrium intermittentium curatio, nequidem HIPPOCRATI *Corticis Peruviani planè nescio* concessa? Nùm potentiùs in *Septicis* remedium est, quàm in *Intermittentibus*? Nùm absque ullius noxæ metu, sive in his, sive in illis semper & ubique usurpari posset? Quid Mercurium, quid Sulphur, quid Magneticas morborum Curationes, quid Centena *infinitus* propè memorem, quæ inter nullum verè *Specificâ* præditum virtute unquàm deprehenderis! Sæpè enim, etsi curaret, qui analogo laboravit morbo, æquè sanitati aut *alterius*, aut *contrariæ*, aut *nullius* ope Medicinæ restitutum videmus...

« Magna iſta, quia parvi ſumus, credimus, multiſque rebus, ut optimo verbo edixit *SENECA*, non ex naturâ ſuâ, ſed ex humilitate noſtrâ magnitudo eſt (*a*). »

Sanctè affirmare poſſum, Viri Americani, & noſtris omnibus, LAUREATO HOC IN EXERCITU, & veſtrum quibuſdam non ignotâ experientiâ, *non unâ*, *ſed multiplici*, ſanctè, inquam, affirmare poſſum eâ fide quâ Virum probum, quâ Medicum decet, quod SCORBUTICOS *abſque Anti-ſcorbuticis* curavimus; QUARTANAS eaſque graves pertinaciorìſque indolis *ſine Cortice Peruviano*; DYSENTERIAS *ſine Simaroubâ*; PERIPNEUMONIAS plures *ſine Venæ-ſectione*; SPURIAS, PUTRIDASque benè multas *abſque Vomitoriorum & Purgantium apparatu & noxis*; ICTEROS *ſine Sapone*; HYDROPICOS *abſque Hydragogis* ſanatos nec ſemèl dimiſimus. URINÆ ceſſerunt non adhibitâ *Scyllâ*, *non adhibitis Diureticis*. *Sine Sennâ Rhabarbaro*-ve, poſtpoſitâ *Purgantium* familiâ, MOTA ALVUS. MALIGNITAS & quidem NERVEI GENERIS ceſſit non unâ vice, nec ſolummodò in inferioris Militiæ viris, *ad-*

(*a*) Quæſt. Nat. Lib. III. Præf.

hibitis nec *Veſicantibus*, nec *Antiſpaſmodicis*. NOVA in ANGLIA ingenuam imprimis PUELLAM, *Antiſpaſmodicorum pondere & numero vexatam*, continuis quibus tunc agitabatur *Spaſmis*, nullò alio niſi *ſublato ſic dictorum Antiſpaſmodicorum uſu* liberavimus.... Poſt Criſes EXPECTATIONIS beneficio peractas, ſæpè *nullo dato pharmaco*, rediit cibi Appetentia, redierunt Vires, viguit Sanitas, perſtitit. Sed nullus abſque bonæ & propriæ Diætæ regulis ſervatus, dùm ſui ipſorum-met damno ab eâ alienati ſint non-nulli.

Non tamen nullam nos omninò feciſſe Medicinam putetis, Auditores ornatiſſimi. Quandòque egimus, ſed ſæpiùs ab Agendo abſtinuimus.... Et cùm egimus, non niſi evidenti de causâ, & dato *Analogiſmo* Indicationem inter & Medium. Tali Evidentiâ abſente, tutiùs viſum fuit abſtinuiſſe ab agendo.

Et illud à poſteriori Argumentum certò certiùs prævalet Argumento ab actione ſumpto. Nam ſanatus eſt æger *ſine medicinâ*.... Urges! Potuiſſet etiàm & *cum medicinâ* curari.... Volo: ſed in confeſſo eſt quod fuiſſet ſaltem *inutilis*.

Spectantis & *Expectantis* illius Medicinæ Argumentum quàm longè præſtat *Agentis* Argumen-

to! Hùc enim reducitur Agentium aut Facientium probatio, ad infulfum illud, fi unquàm, certè in phyficis rebus verbum: *Poft hoc, Ergo propter hoc*. Quanto rectiùs & confidentiùs qui poteft dicere: *Sine hoc fanavi, ergo & fanari fine ipfo poffunt....* Et hâc viâ occurrit urgenti: PROPTER HOC. Si enim *propter hoc*, cur etiàm & SINE HOC?

Medicus Agens aut qui egit, fummâ auctoritate, fummâque eruditione adfit, quî Actionis triumphum afferere unquàm poterit? Nullo modo, Auditores! Dùm dicit, PROPTER HOC, Opinione duntaxat ftat illud proprio in negotio judicium... Dùm dico: SINE HOC, certus fcio.... Narrant de auditis, de probabilibus...... nos Medici *à Medendo* potiùs quàm *ab Agendo*, VIDIMUS CRISIM, NATURAMQUE OMNEM, utità dicam, oculis luftravimus.... Sic *non agendo* Agimus... fic nullæ præjudicatæ opinioni patrocinamur, fic nullâ obligamur. Sic cum HIPPOCRATE non dubitamus profiteri quod OPTIMA MEDICINA INTERDUM fit MEDICINAM NON FACERE (*a*).

Si verò talis, *Expectans* fcilicet, prævaleat;

(*a*) Lib. de Fract.

si Vidimus non ſemel, ſi multos Sanavimus, ſi quantùm contingit hominibus, Certi ſumus, hanc *Expectationem* non diligam! non admirer! non omni ratione, ſi eloquio non datur, non defendendam putem!

Veſtra fuit, Collegæ amantiſſimi, Ratio cognoſcendorum curandorumque morborum tàm fauſtis in hoc Orbe ominibus tentata, feliciori excepta praxi, (16), quæ meam hanc de HIPPOCRATIS Medicinæ præſtantiâ præviam opinionem ampliaret, comprobaret, adornaretque. Vos nobiſcum difficilem hanc Militiam reſpondendi, attendendi, cavendi.... periculoſæ plenum opus aleæ, plenam ſollicitudinis & ſtomachi ſecuti eſtis... Dùm Peragrandum, Vigilandum, Laborandum *ad morbum uſque* ut auxilio tot ægris eſſetis, Vivendum fuit ad neceſſitatis arbitrium...... Sed veſtrum veſtra fecerat Humanitas. Magna laus & grata hominibus, Viros & ſuis caros, nec Amicorum, nec Domûs immemores, ſic longè à Patriâ, tàm ſtrenuè, tàm arduè, tàm ſanctè totos in eâ ſe exercere Arte & Scientiâ quæ ſit tàm multis Hominibus profutura!

Longiùs quàm vellem, ſentio equidem, Audi-

tores, protrahitur hæc noſtra Oratio. Sed ſuum res ipſa momentum loquitur, adeòque & benignis & æquis Adſtantium auribus confidens, ad metam propero.

Petitio quædam *principii*, ut aiunt, mihi videtur Medicinæ practicæ quod fundamentum audit in Virginiâ præſertim. De Morbis & Endemicis & Specialibus Aſſertiones in medium proferunt. Hinc inductiones, hinc Conſequentias, hinc Praxim... Planè aliâ vellem procedere Methodo. Res nedùm ut Demonſtratas recipere, imò ſemper ur Problematicas æſtimare; nedùm *probandam*, quin potiùs *diſcutiendam* afferre Theſim. VENA SECANDA EST IN PERIPNEUMONIA: en Aphoriſmus. Sed in ejus locum cedat quæſtio: *An in Peripneumoniâ vena ſecanda ſit*? INTERMITTENTIBUS CORTICE PERUVIANO MEDENDUM. Huic Aſſertioni duo ſubſtituenda ſunt problemata: *Sanat-ne? Poſſunt-ne abſque ipſo ſanari? Expedit-ne ipſo mediante ſanari?*

Nec jurent in Auctoritatis, totque etiàm Medicorum obſervatorum verba. Ad ſanæ Phyſicæ, Anatomiæ, Hiſtoriæ naturalis, Chymiæque notas Leges & Trutinam *experiunto* majorem harum

Obſervationum partem & quàm paucis fides habenda facilè inveneris. Prolixas lego Narrationes ſæpiùs incongruentium, impoſſibiliumque ſymptomatum. Tales *Fabulas* genuina renuit Pathologia. Quàm longa ſuperſunt tædia, ſi *indicantium* & *indicatorum* ſeries evolvere, ſi curatorios *modos* & *proceſſus* ſequi, ſi *mediorum* inſulſam farraginem extricare non reformides! Dùm hæc inter media ſemper feliciùs quoddam audit, cæteris omnibus palmam curationis præripiens, ſivè *Specifici* titulo jampridem fuerit decoratum, ſive à *Scriptore* decorandum.... Hoc curam omnem abſolviſſe præcipuum Narrationis ſcopum deprehendes. Sed proh pudor!.... Centena dedit quamvis, non minùs præcisè novit cui Vita ægri, cui morbi Curatio debeatur, cùm nullum ſit aliud in quod potiori aut ſaltem æquali jure non poſſit quadrare Encomium!

Quodcumque oſtendis mihi ſic incredulus òdi (*a*).

Et ſeſqui-pedalibus quamvis triumphum extollas verbis, facile eſt ut faciam *ex Tragediá Comœdia ut ſit iiſdem omninò Verſibus*. Mutato enim Nomine, de pauxillo *Nitri* etiàm dato & præſcrip-

---

(*a*) Hor. Art. Poet.

to, & quàm ſæpiùs de *Aquâ* ipsâ-met MAXIMA ILLA MEDICINA, ut & tu-met-ipſe de *Alkali volatili fluore* aut *Sulphuris Hepatibus* Fabulam narrabo.

MEDICINAM SIMPLICEM laudibus extollunt omnes. Hanc autem perpauci ſic profitentur! Fronti ne fidas, nec iis quæ dicta ſunt in Colloquiis aut Conviviis; ne quidem in ipſis Cathedris, dùm quædam Auditores omnium Ordinum advocat Solemnitas. Miratus es *dicentem ex Cathedrâ; præſcribentis aut apud Cives, aut in Noſocomio* veſtigia excipias... Diſſimilitudinem *Oratoris* & *Medici* miraberis!... Non ſecùs ac ſi Concionatorem ſacrum, poſt *Sermonem* de erogandâ in Pauperum gratiam Pecuniâ, videas ne aſſem quidem, actâ Oratione, erogantem? Sic toties audivimus *Medicam* quam dicunt *Materiem*, aut *Pharmaciam* profeſſurum, dùm Inaugurali Eloquio præludit, totis vocibus ſimplicitatis laudes proclamantem. Sic *Clinicæ* Lectiones Traditurus, ſic Lecturus *de Morbis Mulierum* aut *Navigantium*, ſic Scripturus de *Epidemiâ*, ſi Præfationi fides..... Sed, bone Audiror, Spectator aut Lector... Sectiones, Claſſes, Capita & centenas Partitiones, antequàm ad Individua deveniat, luſtra tantùm... Mediorum

Numerum

Numerum & Rationes penſa. Sequere in Noſocomium.... Factum videbis *de Rhetore Polypharmacopolam* quem vix mentitur MEDÆA dùm *Æſoni* priſtinæ juventuti reſtituendo intenta (17)

Omnia confudit, ſummiſque immiſcuit ima (*a*).

O utinàm confuſione mixtioneque eædem cum *Threiciæ Incantatricis* juſculo, forent ſimiles & virtute tot *Confectiones*, & de illis quibus adhibentur ægrotis, quod NASO de *Æſone*, dici poſſet:

Pulſa fugit macies: abeunt pallorque ſituſque;
Abjectoque cavæ ſupplentur ſanguine venæ,
Membraque luxuriant (*b*).

Quin potiùs, cùm in præſcribendo, ſuis utuntur *Hierogliphicis* ſignis, iis illud Poetæ adaptandum venit, quod

Turpe eſt difficiles habere nugas,
Et ſtultus labor eſt ineptiarum.

Sed ſi ſimplicior audiret Pathologia, ſimplicior etiàm foret & Therapeutica. Pathologia autem eò intricatior evadet, quò *proëmialibus* Medicinæ Scientiis aut nimiùm aut non ſatis fuerit datum.

(*a*) Ovid. Metam. lib. VII.
(*b*) Ibid.

Non minora enim hìc à defectu, quàm ab excessu Scientiæ damna. Medio tutissimus ibis.

Medicina ergò Anilis potiùs quàm Adulta, quæ nunc sui juris, Populorum Civiumque injuriâ, in Orbe Novo est, vix reformanda, quin potiùs oblivioni danda.

Novæ & à novo specialique Instituto aperiendæ sunt Scholæ, in quibus de *Theoriâ quod satis est*, quod clarum & demonstratum, & *paucis* doceatur.... Quod *de propriè dictâ praxi numquàm nimis*. « Non sumus quibus nihil verum esse videatur, sed ii qui omnibus veris falsa quædam adjuncta esse dicamus, tantâ similitudine, ut in iis vix insit certa judicandi & adsentiendi Nota : ex quo extitit & illud, multa esse probabilia (*a*) »... Si superstitio suos, & habet suos incredulitas nimia errores. Ab *Hippocrate* sumendum Exemplum & Præceptum.

Physiologiæ studium pari gressu cum Anatomiâ Humani Corporis & illâ quam *Comparativam* vocant, quæ est Brutorum Sectio, incedat. Non

---

(*a*) Cic. de Nat. Deor.

tàm exquiſita, aut pueriliter minimarum rerum curioſa à Medico requiratur. Quod ad *Vitales*, *Animales*, *Naturales* Functiones attinet probè calleat. Vim Muſculorum abſolutam & reciprocam, Vaſorum ſerentium & *referentium* Directiones, Bifurcationes noſcat. Origines Nervorum, Diſtributiones, *Recurrentias*, Plexus *Sympathiaſque* & *præſertim in Viſceribus* doctus ſit. Anatomiæ Profeſſor, *Lymphaticorum* quos dicunt Canalium non *Arterias* tantùm, ſed & referentes *Vènas* demonſtrare aptum ſe gerat. Hoſtibus noſtris hæc debemus inventa (18).... Viris de Republicâ Medicâ optimè meritis, à quibus tubarum clangor & minax Martis opus nihil nec gratitudinis nec exiſtimationis noſtræ detraxerit unquàm. Nec per Philoſophiam, quæ *Coſmopolitana* eſt, alio modo liceret. Pax, Pax alma, Belli talibus Auſpiciis incœpti & Propoſitum & Votum! Pax optanda Militibus, Populiſque.... Artibus, Scientiiſque pax optabilior!

Chymiam cum *Hiſtoriæ naturalis* quæ *Materiem medicam* includit ſtudio conjungo. Hujus ope Candidatus Naturam, Compoſitionem & relativas corporum Proprietates habebit perſpectas. Indè breviori viâ & *Rara quæ non ſunt Artis* & quod

ſpecialiùs ad proprium negotium pertinet conſequetur Medicus.

Connexio illa quâ Naturæ *Regna* affinitatem quamdam inter ſe habent, *Analogiæ* illæ quæ ſenſu attingi vix poſſunt, ſed quibus alterius *Regni* viciniora individua invicem approximantur, nullo niſi philoſophico & aſſueto oculo innoteſcent.

Abſit ut Chymicas Notiones à medici ſtudii Scholâ penitùs exulare vellem, quin protractiùs forsàn quàm ipſi-met Chymici, Chymiæ utilitatem medicam vindicari debere arbitrer. Quod ab ipsâ *Addendo* tantùm expectant, id à *Corrigendo*, à *Subſtrahendo* feliciùs expectarem. Nec enim *Tartarum ſtibiatum*, nec *Terra foliata Tartari*, nec potentiora quibus Artem medicam donavit Remedia, tantùm in hanc Scientiam honoris regerent unquàm, quantùm ipſa meruit dùm *Galenicorum* plærorumque *inutilitatem*, *Chymicorum* ferè omnium *periculum* nota facit. Hujus benignâ illuſtratus face, Inſpicio in immenſam illam Pharmacorum Seriem quàm nimiùm patienter Patres noſtri remediorum dixerunt Theſaurum. *Principia* aut nulla, aut eadem in diverſis, aut diverſa in ejuſdem Claſſis Pharmaceuticæ Mediis palàm facit Ars *Pyrothecnica*.

O pauper & verè pauper *Galenica Materies medica*, ſi ad Chymiæ lydium probetur! O pauperior forsàn *Materies medica Chymica*.... dùm ipſa-met Chymia arguit non *pauperiem* tantùm ſed & *periculum*.

Interrogatâ *Œconomiâ animali*, interrogatiſque ejus Legibus novit Naturam animalis Fibræ, Nervorum, Vaſorum, Membranarum *Irritabilitatem*. Non fatetur tantùm, ſed docet alio modo in vaſis ſtanneis, vitreis, aut marmoreis ſe habere Operationes Chymicas, alio in Humano Corpore. Hæc docet impoſſibilitatem *Lithontriptici*! Quî enim illæſis ſenſibilibus Veſicæ Membranis in ipſam lapidis duritiem tantâ efficaciâ agere poſſet *Specificum*? Hæc nos verè *medica Chymia* monet *quàm pauca modo chymico* agant *Remedia*! Nùm rei exemplum & egregium quidem præbent, non diſſimili fortunâ, non infeliciori eventu, *Acida* aut *Alkalia*, in *Aſphyxiæ* caſu uſurpata? Sed citrà demonſtrationis metam poſuit evidentia, aliâ prorsùs quàm chymicâ agendi Ratione, vitæ ſuperſtitis peragi *Excitationem*? Nonne *Acidis ſuis* Chymia Neotericorum, eoſdem profligat Morbos, quos, Sæculo proximè elapſo, *Aciditati* Humorum cuncta tribuens, quæ tunc Temporis obtinebat

Chymia, *Alkalinorum* ope ſanaverat? Eò ſcilicet & his & illis concurrentibus, non niſi *mutatâ conditione nerveâ* à quâ erat Morbus.

Chymia autem noſtra Medica in id operam ſuam impendat, ut advigilet Pharmaciæ, ne aut pugnantia inter ſe, aut corpori humano infenſa ſubminiſtret Pharmaca; ſed paucis, iiſque ut ſelectioribus, ſic efficacioribus viis tota Therapeuticæ illius pagina abſolvenda eſt.

Tertius quem in quâvis vellem Facultate medicâ Profeſſor, eſſet *Clinicus*. Quidquid *utriuſque Pathologiæ* eſt, docere ipſius munus eſto. Claſſes morborum Generaliores ſimpliciori methodo exponat, ad Speciales exindè ordine & viciſſim venturus. Horum evidentiores tùm remotas, tùm & proximas adducat Cauſas. Dicat Symptomata Incrementi, Statûs, Decrementi, quorum cognitione ſtat *Diagnoſticum*. Hæc inter optimorum à bonis, bonorum à malis, ab iis peſſimorum diſcrimen faciat, non in *prognoſtici* tantùm gratiam, ſed ut indicationes eruantur aut *Actionis* aut *Expectationis*... Probè notato quodcumque ſive ad fauſtos, ſive ad infauſtos tùm Naturæ, tùm Artis conatus pertinet. Sed cum

Segnius irritent animos demiſſa per aures,
Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus & quæ
Ipſe ſibi tradit juvenis,

Præcepto, quantùm fieri poterit, proximum ſit Exemplum aut ſaltem Exemplo Præceptum. Quod ut aſſequantur, & id Caput rei eſt, poſtquàm audierint Phyliatri de Morbis Cognoſcendis & Curandis dicentem ex Cathedrâ, Facientem ſequantur in Noſocomium. Ut antiquior celebratiſſimaque Medicinæ Schola in templo Eſculapii, ſic veſtra nullibì meliùs quàm in Noſocomio inſtituenda.

Sit accuratiſſima in Noſocomio Academico Obſervatio & Hiſtoria Morborum, ſimpliciſſima autem, eoque magis *Hippocratica* Ratio curandorum. Sic felicior Profeſſorem decebit Praxis! Sic felicior quæ ab ipſius Exemplo fiet!

Sit breviſſimus Præſcriptionum *codex*... ſimpliciſſimæ Formulæ (19). Sed probè ſtabilitâ *Indicatione*, *Analogis* quibuſdam viciſſim uti Remediis, nullo modo abs re fore arbitramur, ne horum cuipiam quid magis *Specificum* ineſſe putent Tyrones.

Nec itâ generalioribus indulgeat præceptis Professor, ut in iis quæ Regionis aut Locorum, imò & Temporum sunt, minùs attentum se gerat. Minimam enim partem & laboris habet & honoris meretur, qui *Publicæ Valetudinis* minimè curiosus, *privatorum* tantùm Sanitati curat. Harum enim Prior Posteriori est quæ prospiciat.

Sic Professor, si singulis aut alternis mensibus, de Aëris constitutione, meteorologicis Observationibus propè stabilitâ, de Cibis, de Potibus, de cæteris quas *non naturales* vocant Rebus, imò & de adventitiis quæ contingere possunt *Temporum circumstantiis* inquirat; si connexionem inter Morbos grassantes & præviam aëris conditionem explanare velit; si præsentis conditionis peritus æstimator, hujus ope de futurâ Epidemiâ præsagium eruat & probabiles conjecturas promat in medium... Si Tabulis Nosologicis unusquisque Tyronum aut Candidatorum inscribat quotidiè quidquid circà ægrum cujus observandi posteàque attendendi provincia ipsi demandabitur, acciderit..... assiduè, bonâque fide, ut utilia à nocivis, ut res majoris momenti ab adjunctis aut futilibus possint discerni... Si deniquè horum omnium Observata tùm communia, tùm sibi-met ipsis propria, Condiscipulis

ſuis & Magiſtro probanda , emendanda , corrigendaque tradat Tyronum unuſquiſque . . . Profeſſor ille , ut nullus antè ipſum , non de Patriâ tantùm , ſed de universâ medicâ Republicâ benè meritus audiet. Breviori viâ Diſcipulos informabit, quàm potuerunt unquàm , imò & apud Europæos , celebriores Scholæ.

Quæ Hygienem Therapeuticam ſpectant , ſint Profeſſoris illius Clinici, ut & *Rerum non naturalium* uſus in ſtatu ſano, Phyſiologiæ Profeſſorem decet. Si etenim Phyſiologia illa quid ſuo modo *practicum* habeat , ab eâ & multò magis utilitatis naſcetur.

Omnem hanc Medicinæ docendæ provinciam abſolverent tres duntaxat Scholæ, omnibus fœderatis AMERICÆ Rebus-publicis dicatæ ; quarum prior *Cantabridgiæ* , *Novæ* quam vocant *Angliæ* ; altera *Philadelphiæ*, mediis Ditionibus ; *Gulielmopolitana Virginiæ* & *Auſtralibus* magis competeret.

Advocatis in Conventum , hoc de negotio , quos quæque Reſpublica aptiores doctioreſque Artis Magiſtros novit , penes ipſos ſit , ſic , non annuente ſolùmmodò , ſed jubente ſupremo Senatu , quem CONGRESSUM vocant , qui totius Reipublicæ bono , commodis , honori invigilat, Statuta de Me-

dicinæ ſtudio & praxi contrahere ; Libros Temporibus & Locis accommodatos ſcribere , aut jam ſcriptos & laudatos ſeligere , probare , commendare , ſed nullos niſi dicto Philoſophiæ medicinalis ſigillo inſignitos. Quales inter practicos reperiundi ſunt ARETÆUS , CELSUS , BALLONIUS , HOLLERIUS , LOMMIUS , Angliæ Hippocrates magnus SYDENHAM , Romæ decus BAGLIVI , ſui ſæculi honos immortalis BOERRHAAVIUS.... & alteri ab ipſo VAN-SWIETEN & GAUBIUS & HUXHAM & PRINGLE , quorum hic curatione , ille deſcriptione morborum ſic inſignes ! Atro carbone proſcribantur *quæcumque tàm docta & inutilia inventa* , quicumque Empyrici errores Saluberrimæ Arti impedimento eſſe poſſent.

Nam *Theoriarum* aut *Panacæarum* imò magis fictitiarum abuſus , qui in Europæ doctis Regionibus obtinet , nunquàm id periculi Civium incolumitati minari poterit , quantùm harum decima pars poſſet in Orbe Novo. In Antiquo occidit prior opinio , dùm nova oritur , poſteriori ſuâ vice locum ceſſura. Sic nimiùm extenſæ unius admiſſioni aliæ viciſſim obſtant. Et ità innumeræ Opiniones abſque Auctoritate , dùm Auctoritates perpauciſſimæ quovis duntaxat Sæculo dominium obtinent.

Non ità hûc loci res ageretur. Profperis gauderent velis errores, dùm fapiens Criticè ventis forsàn deberet ludibrium. Nec verbofitate, nec multiloquio eget Medicus, fed cognitione morborum, fed remediorum cognitione; iis enim, non verbis curantur morbi.

Penès ergò lectiffimum Medicorum illorum Conventum, penès genuinos illos Apollinis filios & nepotes fit genuina Artis Statuta edicere, quæ præjudicia, quæ pravas confuetudines abrogent; quæ Magiftros Artis fui-met ipforum juris faciant... Penès ipfos fit quidquid parvum, vile, inconcinnum, præconceptæ datum aut conceffum opinioni vifere denuò, corrigere, antiquare, damnare, refcindere.. Ipfa-met bona fi affluant, ne effluant, intrà fuos & privatos coercere limites. . . . Liberam Liberi Artem doceant, addifcant, imperent; non rudi fuperftitione ftupratam exerceant.

Sed urget quis forsàn : nùm parentes noftros occiderunt quos fic vocare amas aniles Medici? Eheu! Civis bone! Monumenta adi... Lapides ipfi loquentur. A Boftonienfium fcopulofis littoribus ad *Nicotianos* ufque Virginiæ agros, brevitatem vitæ teftantur. *Oftendunt terris* vos *tantùm fata.* In Regionibus fanis in quibus ex probatis, Aër,

Cibus, Potus à naturâ boni, undè brevitas illa vitæ quæ lustrum *vix octavum* (20) superat? Et à pessimo Regimine & à pravâ medicinæ Praxi.... Alio igitur modo tuenda, alio restituenda Sanitas.

Nùm Emendatio illa Medicinæ, Libertatis limites circumscriptura ibit? Nulla, nec vos prorsùs fugit, nulla potest esse nisi *rationalis* Libertas. Alioquin *licentia* foret, & damnanda. Quid civilis Libertas, si præjudiciis denuò serviant? Viliùs est certè, Americani Cives, viliùs est præjudicatæ opinionis mancipium, quàm tyrannidis. Hujus vinculis impotens & nolens premor.... Illius servitutem ni excutiam, liber esse nolo. Liber, liber sum, dic, age.... Dicant & sint.... Indiscriminatim cuivis obvio sic vitas civium negotiari permittere delirium fuit cadentis imperii... Quî possent eâdem culpâ teneri Respublicæ nascentes, PHILOSOPHIA *matre*, MARTE ipso *parente*?

POSTULASSENT sanè Oratorem, Auditores ornatissimi, & dictorum momentum & ità solemnis dicendi occasio. Sed Observatorem morbi requirunt, Oratorem nec postulant, nec informant... Et inter ægros ægritudinesque versando, *aliorum ca-*

lamitatibus proprias ſibi creare moleſtias non indocilis Medicus (*a*), ſat benè dixiſſe audit, ſi ſat utilia. . . . .

« Quæ autem vidi, quæ probavi, quæ expertus ſum, bonâ medicâque fide edixi. Qui rectiùs iſtis noverint, candidi impertiantur, candidus fatebor, candidus amplectar. Quamquàm enim ab Antiquis ſim, non minùs Novos, ubi veritatem ſequuntur veneror (*b*) ». Amicus PLATO, amicus ARISTOTELES, magis amica VERITAS. Hæc nos Veritas ad quæcumque aut abroganda aut admittenda ſuaſimus impulit, jubentibus & ſanctæ humanitatis jure & quo Orbem Novum amore proſequimur.

Dictorum monitorumque periculum faciant, ſi velint, quibus medicæ Inſtitutionis peragendæ nobilis demandabitur cura, conſcius ſpero nonniſi proſperum eventum fore. O quandò dies illa mihi affulget !

Quid enim mihi unquàm immenſi hujus Orbis Salute, Libertate, Incolumitate, Felicitate antiquius ? Quid mihi optatius unquàm charis Pena-

---

(*a*) Hippoc.

(*b*) Klein Interp. Clin. Præf.

cibus reddito, quàm audiſſe AMERICANOS planè liberos, felices, incolumes, ſanos, longævoſque?

Stet præcipuè, ſtet iterùm illud CAPITOLIUM fulgens, triumphatiſque & Libertatis hoſtibus & Præjudiciorum monſtris, ſic pleniùs poſſit VIRGINIA ferax *dare jura ſibi!*

En mea penitùs cordi infixa ultima vota! Quæ ſi nec mea me præſagia fallant, comparatione inſtitutâ inter factam hùcuſque & exindè faciendam Medicinam, ſic omnium ætatum & conditionum animos in ſuî hæc favorem eriget, ut anteà ANGLIS *Maris* & *Americæ* dominium obtigerit..., Anteà LUDOVICI XVI, anteà noſtrorum Ducum & Militum hiſ-ce in Regionibus ſubrepſerit oblivio.... Anteà DECII illius, aut FABRICII veſtri, aut CÆSARIS, aut omnium ſimùl,

> Cùm tot ſuſtineat, cùm tanta negotia ſolus,
> Res patrias armis tutetur, moribus ornet....

anteà WASHINGTON, *magni illius* VIRI, ab utriuſque Orbis memoriâ nomen exceſſerit, exciderit gloria, quàm unquàm ſic repurgatæ, renovatæ, ſtabilitæ in humani generis bonum, Orbis Novi Medicinæ ſplendor obliteſcat.

FINIS.

ANNOTATIONES.

(1) *Pag.* 2. Ducem illum fortiſſimum, &c.

Cum Gallicis Copiis hiemandum foret Gulielmopoli, Equitem DE CHASTELLUX rogaverat WASHINGTON, ut in ſpecialem tutelam Academiæ Jura & Profeſſores reciperet. Litteratus inter Litteratos ſic commiſſi muneris dignitatem ſervavit, ut licet ſæpè Mæcenate uſi ſint, numquàm tamen niſi Amico & Socio familiariter ſe uſos fuiſſe ſenſerint. Cui ut ejus doctrinæ exiſtimationis ſimùl & ſuæ amicitiæ pignus darent, Diploma *Jurium Doctoris* obtulerunt. Id moris eſt Univerſitatibus Americæ ut Viri præſertim de Republicâ benè meriti, *honoris* causâ, Gradibus Academicis decorentur. Sic Univerſitatis Cantabridgienſis (*in Maſſachuſſett* Sinu) Decreto, G. WASHINGTON DOCTOR *Jurium* NATURÆ, GENTIUM & SOCIETATIS CIVILIS renuntiatus eſt, 3 *Aprilis* 1776.

(2) *Pag.* 3. Præſidem, &c.

Dr. Johannes MADISON, Præſes Academiæ, Matheſeos & *naturalis Philoſophiæ* (quo nomine Angli, quod *Phyſicam* vocamus, intelligunt) Profeſſor. In Concione ſacrâ, in Sacello Academiæ habitâ, chriſtianam fidem Phyſicis ſolùmmodò & Aſtronomicis Argumentis ſtabilire conatus eſt.

(3) *Pag.* 3. Antecessorem vestrum, &c.

D^r. G. WYTHE, Legum Municipalium Professor, unus è tribus Virginiæ Legislatoribus electis.

(4) *Ibid.* Indicæ Linguæ Professoris, &c.

D^r. BRAKEN, Ecclesiæ Gulielmopolitanæ Rector, Linguæ Indicæ Professor.

(5) *Pag.* 4. Ipsius Professorem, &c.

D^r. Robertus ANDREWS, *Philadelphiensis*, Eclesiæ Eboracensis in Virginiâ Pastor.

(6) *Ibid.* Tu, mi BELLINI, &c.

Carolus BELLINI, *Florentinus*, Neotericarum Linguarum, Gallicæ, Italæ . - . imò & ipsius-met Anglicæ Professor. Id proprium habent, à *Magnæ Britanniæ* exemplo, Americani, quod Linguam imprimis Vernaculam, *Grammaticè*, publicis in Scholis ubique ferè doceantur.

(7) *Ibid.* Doctor Saluberrime, &c.

D^r. Jacobus M^c.CLURG, Medicinæ Professor; Scholarum Parisiensis, Edimburgensis, Londinensis Alumnus.

Variis

Variis & curiosis circà *Bilem* experimentis *Lutetiæ* institutis, *Londini* scripsit & edidit Tractatum cui titulus: *Experiments upon the human bile and reflections on the biliary secretion.* Jussit quod splendida bilis. LONDON, printed for T. Cadell in the Sand. 1772.

Hæc dùm meditabar, Doctorem M^c.CLURG morbo gravi correptum lugendum timuerant Academia & Virginia... Vix convalescentem sibi vindicavit Philadelphiæ Ordo saluberrimus. Pergat Vir optimus quò illum fata, quò sua illum virtus, quò fama, quò gloria vocant. Quod fuit Virginiæ & Gulielmopolitanæ Universitati, quod instituendis in Arte Medicâ Virginiensibus futurus erat, sit Philadelphiensi Facultati, sit Pennsylvaniæ, sit totius Americæ Fœderationis Civibus!

(8) *Pag. 6.* Virtute, fortunâ gesta commemorari possit.

Nunc neminem in utroque Orbe latet trecenti ferè leucas à Galliæ Americæque fœderatis Copiis peragratas fuisse, ut tùm naturâ, tùm arte circumvallatam circumtectamque urbem (Eboracum.... *York-Town*), & pari fermè militum numero munitam obsiderent, expugnarent, quindecim dierum spatio in suam ditionem redigerent.

(9) *Pag. 8.* Hospitibus.

Dicabantur Gallorum Militum Nosocomio Majori,

Ædes Universitatis & Professorum ... Ducibus ægrotis aut vulneratis Academiæ Præsidis ipsius-met Domus tota.

(10) *Pag. 42.* Academiæ Præsidem docuerunt.

Eodem concurrunt Meteorologicæ Observationes mihi impertitæ à D^no^. NOEL, Gallicæ Legationis ad Americanos Chirurgo. Philadelphiæ, ab initio Julii 1780, ad finem usque anni 1782, Mercurium in Reaumuriano Barometro, altitudinem à 27 poll. & 6 lin. ad 28 poll. servavit; Variationibus observatis unius tantùm aut alterius lineæ, iisque lentissimè peractis.

D^nus^. RESTIF, Christianissimi Regis Legato olim à Secretis mecum communicavit Observationes Meteorologicas in urbe *Trenton* ad *Delaware* flumen transactas ab initio Decembris 1779 ad initium Martii 1780. Major, quæ, illo temporis spatio, circà altitudinem Mercurii acciderit variatio, ejus descensus fuit à 29 poll. 9 lin. ad 29 poll. 2 lin. 28 Decembris, furentibus Aquilone, Tempestate & Pluviâ.

D^r^. CHAUVET, Vir ut in Anatomicis præcipuè, & Chirurgicis, sic & in omnibus quæ ad Rem medicam pertinent versatissimus, mutatis ædibus non ità pridem, & nondùm instructâ Bibliothecâ, Observationes Meteorologicas, multos per annos, Philadelphiæ institutas, ad manum, ut optassem, habere non potuit. Sed interrogato Doctore, quid specialiùs, hoc in negotio, tot per annos animadvertisset; iis quæ ipsius sunt, Octogenarii quam-

vis, ingenii celeritate & festivitate indolis, citò citiùs retulit : « Speciale aliquid observatum habeo & quidem nonnullius momenti, ni fallor. Nulla est ferè, his-ce in Regionibus variatio circà altitudinem Mercurii. Nec Americæ Borealis tantùm illa est observatio. Abhinc quadraginta annis, idem observaveram in Jamaïcâ, in Antigoâ, in benè multis Americæ Australis Insulis. Quæ sit ratio physica nescio prorsùs. Sed ità rem se habere pro certo constat. »

(11) *Pag. 44.* Militaris toga.

Quod Galli *Capote*, Angli & Americani *A soldier's great coat* vocant.

(12) *Pag. 47.* Spirituosis omnibus quæ arte peraguntur, &c.

Spiritus Vini, Orizæ, Sacchari, Frumenti, Pomorum, Mali Persici, Cerasorum, &c. &c.

(13) *Pag. 48.* Suillam eamque magis adipatam.

Fatendum quod in Americâ longè majori teneritate donetur suilla Caro. Alioquin pernarum adeo magna copia vix posset ità impunè absumi citrà imminentis periculi metum. Sed si morbi *Cutanei*, sic frequentes, aliis etiam & diversis causis natales debeant, ipsis saltem favere, quid tali victûs consuetudine aptius ?

(14) *Pag.* 50. Diceres propiores.

Exercitationis laborisque inertia, quæ in Orbe Novo obtinet, Australium Regionum, multo magis quam Borealium est. Cæteris diversitatis hujus causis annumero plures *divitiis* Optimates, pluraque Mancipia, quæ in Australibus, in *Virginiâ* præsertim observare est. Si major sit *Bostoniensium* & *Connecticutiensium* vigor & activitas, hùc forsan non minus concurrit *moralis* & *politica* regionis conditio, quam physica cœli & Aëris natura... dum magis in ARISTOCRATIAM *Virginiensis* Politia vergat; *Bostoniensis* & *Rhodinsulensis* in DEMOCRATIAM.

Probè animadvertendum quod in iis quæ ad militarem Fortitudinem spectant, in iis omnibus quæ communis fœderis causâ aut proposita aut promota, instituta aut peracta sunt, VIRGINIENSES & multis & præclarè gestis, toto belli decursu, sese insignes præbuerint. Tantum LIBERTATIS amor potuit!

(15) *Pag.* 54. *Indigenæ vitis* vinum.

Putat T. POWNALL, quod vitis Europæana non nisi difficillimè ferre possit subitas Americani cæli mutationes, timendumque monet ne uvarum acini *roratione* defluant. Cujus rorationis periculo minùs obnoxia est *uva indigena*, dum crasso suo corio munitur; sicque auctor satius esse dicit culturâ prosequi perfectionem vitis indigenæ, jam climati assimilatæ.

Qui plura his de rebus exoptaverint, invenient in laudato Opuſculo, cui titulus : *A Topographical Deſcription of the middle British Colonies &c. In North America. By T. Pownall, late Governor &c. London, J. Almon 1776.*

Vel *Mr. Anthill's Obſervations on the culture of the Wine in the Tranſactions of the Philoſophical Society, at Philadelphia, vol 1.*

(16) *Pag.* 77. Collegæ amantiſſimi.

M. GODDET, D. M. M. In maximo vitæ diſcrimine verſabatur initio Veris 1781, & ineunte Autumno 1782. Utrumque morbum curandis militum morbis planè deditus contraxit.

Bernardus BORGELLA, D. M. M. Philadelphienſis Medicinæ Facultatis Doctor, & Societatis Philoſophicæ Americanæ... juvenis adhùc, ſed eâ quæ Medicorum *virorum* eſſe deberet, cum theoricâ tum practicâ *Philoſophiâ* inſtructus.

Dr FORESTIER, D. M. M. Medicus Regis Ordinarius... Si apud Aulicos ſimplicem, ingenuam, felicem imprimis, ut confido, profiteatur medicinam, qualem profeſſus eſt in Americâ, non poſſum quin aulicis valdè gratuler.

(17) *Pag.* 81. Intenta.

Undique accerſitis rebus juſculum famoſum parantem Medæam ſic apprimè pingit Ovidius :

Interà validum posito Medicamen aheno
Fervet & exultat ; spumisque tumentibus albet.
Illìc *Hæmoniâ* radices valle resectas,
Seminaque, floresque, & succos incoquit acres;
Adjicit extremo lapides *Oriente* petitos,
Et quas *Oceani* refluum mare lavit, arenas;
Addit & exceptas Lunâ pernocte pruinas,
Et *strigis* infames ipsis cum carnibus, alas:
Inque virum soliti vultus mutare ferinos
Ambigui profecta *lupi*. Nec defuit illic
Squamea *Cinyphii* tenuis membrana *Chelydri*,
Vivacisque jecur *Cervi* : quibus insuper addit
Ora caputque novem *Cornicis* sæcula passæ.
His & mille aliis postquàm sine nomine rebus
Propositum instruxit mortari barbara munus :
Arenti ramo jampridèm mitis *Olivæ*
Omnia confudit, summisque immiscuit ima (*a*).

(18) *Pag. 83*. Hostibus nostris hæc debemus inventa, &c.

Initio anni 1780 *Londini* editurus erat & forsan edidit *Lymphaticorum Vasorum Anatomiam*, Vir hâc in re multum, nec minus in cæteris quæ totius medicinæ sunt versatus, D[r] SIMMONS, Societatis Medicinæ Londinensis tunc temporis Præses, nostræ Socius, Regii Nanceïan. Med. Coll. Honor. &c.

(*a*) Metam. Lib. VII.

(19) *Pag.* 87. Simpliciſſimæ Formulæ.

Militaribus Gallorum Noſocomiis in Orbe Novo Boreali addixeram COMPENDIUM PHARMACEUTICUM, *Newporti Rhodinſulenſium* editum 1780, quo nullum ſimplicius, brevius. Tamen non *decimam* partem forſan ex *centenis* circiter quibus conſtabat formulis, in uſum practicum advocavimus.

(20) *Pag.* 92. Octavum vix luſtrum, &c.

In *novâ* quam dixerant *Angliâ*, ſi monumentorum inſcriptionibus fides, conſtat hunc eſſe *medium*, ut dicunt, *terminum* vitæ in Orbe Novo Boreali. Tamen in Connecticutii montibus præſertim, inveni homines benè multos & benè multas Quadragenario, non nullos Octogeſimo majores, quoſdam Centeſimo propiores, imò & Centeſimum adeptos. Hûc ſanè concurrunt Aër purior, Alimenta ſana, temperans vivendi Ratio, Mores optimi, Fortunarum Dignitatumque *inter Concives* conditio magis librata, ut ità dicam, & æqualis... Ipsâ-met regionis naturâ, non minùs quàm ſapienti conſtitutione Reipublicæ, impoſita laboris neceſſitas. Pulchrior *Pennſylvania* oculis forſan habet quo placeat magis, melius *Connecticutium* quo cordi arrideat.

Beatus ille qui procul negotiis....

Si Virum Horatii *beatum* inveniendum habeas, quæras in Connecticutio, aut abſtine.

Finis Annotationum.